DE

SOCRATICÆ DOCTRINÆ VESTIGIIS

APUD

EURIPIDEM

AD

DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

DISSERUIT

GASTON FEUGÈRE

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1874

SCEAUX. — IMP. M. ET P.-E. CHARAIRE.

C. BÉNARD

MEO MAGISTRO ET SOCERO

DUPLICITER GRATUS

D. D. D.

PROEMIUM

I. Inter eos qui scripserunt de Euripide, nemo est qui non singularem quemdam sententiarum proventum et disputationes illas ad philosophiam aut ad mores hominum pertinentes animadverterit, quibus ille tragœdias sæpius, fateor, intempestive illustrare solet. Inde, quod apud omnes satis constat, Euripides jure appellatus fuit *scenicus philosophus*. Nec jam defuere qui cumulatius de Euripidis *cothurnata* philosophia dicerent, quam ut rem eamdem retractare operæ sit pretium. Hodierna autem hæc disputatio eo valet ut, quantum fieri possit, accuratius inquiratur an forte aliquid Socratici ę tot sententiis redolere videatur, an saltem nonnullæ sint quæ cum doctrina Socratis reipsa consentiant. Etenim, quamvis libenter concedamus Euripidem multa hausisse e vulgari illa et quasi in medio posita philosophia, tamen, si quis vel paululum in rebus hujusce generis fuerit versatus,

statim agnoscet in sententiose dictis ab Euripide quamdam mentem aliquando impressam esse, vulgari opinione altiorem, et vere philosopham.

Unde fluxerint tot sententiæ, non nunquam inter se dissidentes, et quænam philosophorum officinæ has atque illas sibi jure vindicent, haud facile dictu est, ita ut sapere mihi videatur qui, omnibus indiciis vel diligentissime indagatis, controversiam omnem sublatum iri non ideo confidat.

Neminem sane fugit Euripidem in naturali philosophia præceptore usum fuisse Anaxagora qui Νοῦς dicebatur, et « primus, ut ait Tullius, omnium rerum descriptionem et modum mentis infinitæ vi ac ratione designari et confici voluit [1]. » Ab eo Euripidem institutum fuisse ut excelsius de Deo sentiret, pro certo habendum est. Quid quod etiam satis apparet eumdem quibusdam aliis, tum in Græcia vulgatis, philosophiæ disciplinis fuisse imbutum. Mihi vero aliquid gravius occurrit, digniusque, si aperte dixerim, quod solito diligentius perspiciatur, nempe fuisse Euripidi cum Socrate necessitudinem, de qua sæpissime mentio facta est. Notissimum illud Æliani : « Socrates in spectaculis parum frequens ; qui tamen, si quando Euripides, ille tragœdiarum scriptor, cum novis tragœdiis certabat, tum veniebat. Et in Piræo, certante Euri-

1. *De Nat. Deor.* l. I, c. XII.

pide, Socrates adfuit : delectabatur enim homine, videlicet propter sapientiam et carminum virtutem [1] ». Quin etiam ea inter eos consuetudo habita adeo æqualium oculos convertit, ut rumor fuerit Euripidem aliquando Socratis ipsius auxilio in fingendis fabulis usum fuisse : unde comicorum quidam de *Troadum* sive *Troum* fabula hæc populo proclamans jocatus est :

Φρύγες ἐστὶ καινὸν δρᾶμα τοῦτ' Εὐριπίδου,
ᾧ καὶ τὰ φρύγαν' ὑποτίθησι Σωκράτης [2].

Et apud Calliam in comœdia Πεδῆται dicta, Euripides cuidam dicenti : « Ἤδη σὺ σεμνῇ, κἀι φρονεῖς ὅυτω μέγα ; » hæc respondere fingebatur : « Ἔξεστι γάρ μοι· Σωκράτης γὰρ αἴτιος. » Notandum etiam quod cecinit ipse Apollo, quum a tragico poeta Chærephonte consuleretur quid de Socrate sentiret :

Σοφὸς Σοφοκλῆς, σοφώτερός γ' Εὐριπίδης·
ἀνδρῶν δ'ἀπάντων Σωκράτης σοφώτατος [3].

Haud fortuito accidisse arbitror ut Euripides proximus Socrati sic adscriberetur, atque etiam ejusdem fere laudis in societatem veniret.

Non ideo tamen mihi venit in mentem eorum partes sequi qui tantum id valere existimarunt, ut Euripidem Socratis discipulum dicerent, nec certe assentiar his verbis Gellii : « Euripides auditor fuit physici

1. *Var. hist.* l. II, c. XIII. — 2. Diog. Laert. in *Socrate*. — 3. Suidas in *voce* Σοφός.

DE
SOCRATICÆ DOCTRINÆ VESTIGIIS
APUD
EURIPIDEM

AD

DOCTORIS GRADUM PROMOVENDUS

DISSERUIT

GASTON FEUGÈRE

OLIM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNUS

PARIS

LIBRAIRIE HACHETTE ET Cie

79, BOULEVARD SAINT-GERMAIN, 79

1874

SCEAUX. — IMP. M. ET P.-E. CHARAIRE.

C. BÉNARD

MEO MAGISTRO ET SOCERO

DUPLICITER GRATUS

D. D. D.

eum novam hanc viam philosophandi fuerant ingressi, quippe qui, quum de veri cognitione et natura, tum de iis quæ ad vitam communem pertinent, scilicet civili scientia, et religione, et moribus disserere soliti essent. Hoc vero inter sophistas et Socratem intererat, quod isti prædicabant id cuique verum esse quod cuique videretur, et sic φαινομένην philosophiam assectabantur, ille autem non videri tantum, sed esse verum profitebatur, quod reperire possimus, et repertum sequi debeamus.

Quum igitur aliqua esse videatur inter Socratem et sophistas vicinia, quærenti an apud Euripidem aliquid cum novo philosophiæ genere, a Socrate orto, consonet, haud facile est explorare utrum illud Socratis sit an sophistarum.

Constat tamen Euripidem quæ in philosophia sophistæ et Socrates inierant, in scenam ea detulisse. Quod ad Socratem, proposito nostro assentitur vir eruditissimus. « Socrates, inquit, dictus fuit philosophiam, a rerum naturæ reconditarum consideratione ad moralis scientiæ usum revocando, in terram deduxisse. Nonne et dici possit Euripidem, eodem tempore, illuc tragœdiam circumegisse, vivam hominum imaginem, ex involucris quibus fuerat priscarum fabularum mendacio circumdata exsolvendo [1]? » Ani-

1. V. Patin, *Études sur les tragiques grecs*, t. III, p. 1.

madvertendum etiam et artes illius ætatis eodem una spectavisse. « Nam, ait idem, quo duce valde delectamur, ut Euripidi ea præcipua laus tragicæ artis esse videbatur si id optime expressisset quod humanum est; ita sculptores quoque et pictores id imprimis studebant ut animi humani affectus per formam et colorem tanquam tragice effingerent. Quem ad finem illos, quum Euripides exemplis, tum sermone Socrates cohortabatur : quod significat oratio quam apud Xenophontem ad Parrhasium et statuarium Clitonem adhibet [1]. »

Euripides enim in eo cum sophistis primum et deinde ipso Socrate consentit, quod, ut ii philosophiam, ita ipse heroam et pœne divinam Æschyli et Sophoclis tragœdiam ad humanarum rerum veritatem reducit. Cujus quidem fabulis totius vitæ, publicæ et privatæ, effigies, et hominum mores, et quibuscunque moveri solemus contrarii affectus exprimuntur. *Hominem* dicas tragicam scenam, ejectis numinibus, sibi vindicasse, ut suam sibi contemplandam imaginem præferret. Deinde si ad illas sententias et disceptationes respexeris, quibus Euripidis personæ, vel maxime a philosophandi exercitatione alienæ, quales Hecuba, Helena, Orestes et alii, nulla rei locive habita ratione, recitata intercidunt, nonne patebit

1. Ibid, t. I, p. 145.

natam esse in Græcia et jam adultam novam quamdam veluti mentem, qua homines, rerum naturæ incuriosi, se ipsos intueri et excutere malint?

Quamvis harum sententiarum plurimas e sophistis prioribusve philosophorum sectis hauserit Euripides, non prohibemur vestigia quædam agnoscere recentioris cujusdam disciplinæ quæ sophisticæ arti maxime adversatur. Quod speramus fore ut manifestum nostra inquisitione fiat. Nunc autem si quis rem summam consideraverit, apparet in eo Euripidem cum Socrate convenire, scilicet quod uterque, a cœlestibus deflectens, in hominum naturam pernoscendam totam vim animi verterit. Inde jam intelligi potest cur fama increbuerit Euripidem a Socrate in suis fabulis componendis adjutum esse, atque etiam cur Aristophanes utrumque pariter oderit.

CAPUT II

EURIPIDES ET SOPHISTÆ.

AN EURIPIDES IN TRAGŒDIIS UT SOCRATES IN COLLOQUIIS SOPHISTAS INSECTATUS FUERIT?

Si quodam modo dici potest Socratem quam sophistæ instituerant viam eamdem tenuisse, non tamen infitiandum neminem iis fortius adversatum fuisse. Quidam recentiores, quum græcorum sophistarum causam tuendam, quasi patroni, suscipiunt, non dubitant, ut Socratem ipsum trahant in suas partes, illius doctrinam adulterare, et novum fictumque Socratem pro vero adumbrare. Frustra gestiunt notam sophistarum nomini a Socrate impressam interlinere; quiquidem is semper habendus est qui acerrime exagitaverit commentitiam istorum sapientiam, et eam de omnibus rebus dubitationem, quæ, quum nihil habeat « comprehensi, percepti, cogniti, constituti [1], » non modo religionem et mores, sed

1. *Acad.* l. II, c. VII.

scientiam omnem radicitus evellit. Dum enim id tollunt quo res judicari possint, nullam jam neque veri neque falsi, neque boni neque mali notionem habent, « ut, ait Tullius, si quis quem oculis privaverit, dicat, ea quæ cerni possent, non se ei ademisse [1]. » Certum est contra, sublatis his omnibus quasi fundamentis quibus virtutis morumque scientia innititur, nihil jam superesse, quo verum sibi attingere videantur, nisi mutabilem et aliam aliorum opinationem, quæ huc illuc impellitur, temere rebus assentit, eademque eodem fere temporis momento repudiat. Certum etiam hinc facultatem oratoris quamdam fieri artem utrinque dicendi, quæ eo tantum spectet ut causam, qualiscumque fuerit, obtineat; ut audientium fidem verborum jucunditate vel simulatione veri quasi laqueis irretiat; denique ut aperiat viam qua ad quæstum et honores perveniatur.

Hoc esse sophisticæ artis proprium nemo non confitebitur, nisi qui sit ipse sophista. Nec fides quidem adhibenda hujus ætatis scriptoribus qui, dum nova aucupantur magis quam vera, Socratem et sophistas profitentur tantulo discrimine separari ut vix agnosci possit : ex quo falso concludunt quæ Socrati easdem sophistis laudes assignari debere. Contra quum is sit sophisticæ artis usus et finis quem paucis explicavi-

1. *Acad.* l. II, c. x.

mus, facile intelligi potest quantum ab eo Socrates abhorruerit.

Dum igitur quærimus an Euripides, sophistis quidem cognatus vel affinis, sophistas tamen in tragœdiis socratice insectatus fuerit, non id in animo est ut quod Socrates de arte sophistica sensit extenuemus. Imo Euripidem conferre non dubitabimus cum ipso Socratis discipulo, qui dictus fuit sophistarum criminator, Platone scilicet, qui sophistas adeo exquisite irrisit, et idem vi et copia argumentorum confutavit.

Ita enim causam constituimus : quamvis Euripides sophistarum artem in scenam deduxisse, nec immerito quidem, visus fuerit, nonne ex ejusdem tragœdiis quædam excerpi possunt, quibus aperte et refellatur et coarguatur ars sophistarum, et quæ haud scio an ad Socratem ipsum referantur?

Est quidem proprium sophistarum sermone perverse uti, et dicendi facultatem, e verborum calliditate et præstigiis, non ex vero ductam, colere et commendare. Ecquis autem in commentitiam istam eloquentiam vehementius fuit invectus quam ille Euripides, quum Hecubam sic dicentem inducit :

> Ingratum vestrum genus, quicunque apud vulgum oratorios
> Sectamini honores : neu cognoscamini mihi,
> Qui amicos lædentes nihil curatis,
> Si multitudini ad gratiam dicatis aliquid [1].

1. *Hecuba*, v. 254-257. Ed. Firmin Didot (1844). — Expressa ad verbum translatione Theobaldi Fix sæpissime nosmet ipsi usi fuimus.

Nec respondeas oportet hæc verba ad rhetores, non ad sophistas pertinere. « Nulla est, ait Plato, sophistæ et rhetoris distinctio [1]. » Philosopho assentitur et Hecuba, dum eum jubet imprimis dicendi artem callere, qui idem assequi velit quod sophista, scilicet popularem auram captare, et dominari in concionem, et in civitate primum locum occupare :

Quid tandem mortales ceteras quidem artes
Elaboramus, ut oportet, omnes, et inquirimus;
Suadelam vero, reginam inter homines solam,
Nequaquam præ ceteris ad finem excolimus,
Mercedes dantes discendi, ut liceat aliquando
Persuadere quæ quis velit, et consequi simul [2] ?

Nonne videris audire Gorgiam quidem ipsum dicentem vel Protagoram? Quid autem sibimet Hecuba paulo longius respondeat notandum :

Agamemno, hominibus non conveniebat unquam
Quam ipsas res linguam posse plus.
Sed sive bona egit, bona oportebat dicere;
Sive vicissim mala, sermones esse putidos;
Neque posse (eum) injusta bene dicere unquam [3].

Quo loco quasi summa continetur Socraticæ de eloquentia doctrinæ : docet enim Socrates duo esse rhetoricæ artis genera, quorum alterum, quum ad solam voluptatem spectet, non aliud sit nisi mera adulatio et illiberale artificium; alterum autem, quod ad honestum pertineat, ars eximia quædam et vere liberalis

1. « Ταυτὸν ἐστι σοφιστὴς καὶ ῥήτωρ. » *Gorg.* ad finem.
2. *Hec.* v. 814-820. — 3. *Hec.* v. 1187-1192.

appellari debeat : veram ideo eloquentiam eniti ut vincat justitia, quacum sit conjunctissima, atque etiam ut homines melius sint morati. Hoc unum interest, quod Euripides non ultra votum progreditur, Socrates autem rem, ut maxime perspicua sit, dialectice argumentando persequitur. Uterque vero oratorem concludit virum bonum esse dicendi peritum.

Proinde, quod Socrates significat, dum subtiliter cum Gorgia et Polo digladiatur, mentitamque rhetoricam coquinariæ arti exæquat, nonne idem Euripides quoque exprimit ?

Haudquaquam auribus jucunda oportet dicere,
Sed (id) ex quo quis fama clarus evadat [1].

Quam quidem artem reipublicæ gravissimam esse pestem, ut argumentando probat Socrates, ita Euripides firmissime asseverat :

Hoc ipsum est, quod mortalium civitates bene constitutas
Domosque evertit, pulchri nimis sermones [2].

atque etiam :

Regina, auxiliare tuis liberis et patriæ,
Hujus facundiam vanam faciens, si quidem dicit
Præclare, quum sit malefica : id autem acerbum est [3].

Vetamur a Platone ejusque magistro ne res inhonestas verborum cultu et splendore ita decoremus ut

1. *Hipp.* v. 488 et 489.— 2. *Hipp.* v. 486 et 487. — 3. *Troad.* v. 966-969.

honestæ videantur. Num ab utroque dissentit noster poeta ?

> Non pulchre dicere oportet in rebus inhonestis;
> Non enim honestum illud, sed justitiæ molestum [1].

Euripides stat etiam a Socrate, quum eloquentiam ex causæ æquitate imprimis pendere profitetur : nam censet, quicunque pro veritate dicat, eum posse confidere se fidem ceteris facturum :

> Quum sapiens vir nactus fuit dicendi
> Bonas opportunitates, non arduum opus bene dicere [2].

Socrates autem in eo maxime sophistis discrepat, quod docet certum quoddam et peculiare, quo vera dignoscantur, esse signum quod apud eum τὸ ἁπλοῦν dicitur ; et idem ipse suis sermonibus confirmat, quorum plerique, a sophistarum fraudibus alieni, rerum dignitatem quadam verborum ingenuitate temperant. Ideo non me pœniteat credere Euripidem, modo a Socratis colloquio digressum, hæc scripsisse :

> Simplex (ἁπλοῦς) oratio veritatis est,
> Nec versutis egent justa conjectionibus :
> Habent enim ipsa pondus ; injusta autem causa,
> Quum per se ægrotet, remediis eget præsentibus [3].

Nec Plato invehitur solum in vilem et contemnendam rhetoricam, sed flagitat etiam ut in istam, corruptam quippe et corruptricem, magistratus ani-

1. *Phœnis.* v. 526 et 527. — 2. *Bacch.* v. 266 et 267. — 3. *Phœnis.* v. 469-473.

madvertant. Cujusmodi venenum et Euripides censet e visceribus reipublicæ ejiciendum :

Mihi enim, quisquis, injustus dum est, callidus in dicendo
Exstitit, maximam mulctam debet :
Lingua enim dum confidit se injusta posse exornare,
Audet scelesta struere, neque est admodum sapiens [1].

Socrates arbitratur mente captos esse qui, dum nullam habent regulam, veri et falsi quasi disceptatricem et judicem, sapientes tamen haberi volunt, nec sunt revera nisi verborum artifices. De quibus Euripides non aliter sentit :

Res mortalium non nunc primum duco esse umbram,
Neque tremens dixerim eos qui mortalium sapientes
Videntur esse, et indagatores quæstionum,
Maximæ stultitiæ esse reos [2].

Fieri potest ut apud populum imperitum et rudem aliquantisper valeat sophistarum vaniloquentia; eorum autem fama pendet e vana opinione, nec quidquam victoria certi et diuturni habet : nam, ut reclamat sæpius Socrates, summa victoria penes est eloquentiam vero justoque subnixam. Nonne et Euripides Socratis interpres videtur his carminibus ?

O opinio (δόξα), opinio, sexcentis jam mortalibus,
Qui nihili erant, vitam extulisti splendidam.
Quibus vero nominis splendor est a veritate,
(Eos) beatos duco : sed qui habent a mendacio, (eos) habere
Non æstimabo, tantum casu sapere videri [3].

Et enim si quis meminerit quale sit Platonis pro-

1. *Med.* v. 580-585. — 2. *Med.* v. 1224-1228. — 3. *Androm.*, v. 319-324.

positum, et qualis, non expressa tamen, sed certa, conclusio in *Gorgia*, etiam in *Phædro*, qui simul ad rhetoricam, mores et civilem scientiam pertinet, judicabit forsan hos Euripidis versus in utriusque dialogi prima fronte præponi posse :

> Nam quando (aliquis) jucundus oratione, male animatus,
> Fidem facit vulgo, urbi est magna pestis ;
> Quicunque autem prudenter recta consulunt semper,
> Etiamsi non statim, postea sunt utiles
> Civitati : id propositum habere oportet principem
> Rem intuentem : eadem enim conditio est
> Orationes habentis et honoribus ornati [1].

1. *Orest.* v. 907-914.

CAPUT III

DE MORALI DOCTRINA APUD SOCRATEM ET EURIPIDEM.

I. Quoniam ea est nostræ disputatiunculæ pars maximi momenti, certi fines ponendi sunt quibus circumscribatur. Quo in loco nolumus moralem doctrinam contrahere quæ ex universis Euripidis tragœdiis exprimi et quasi conflari possit (quæ quidem res nobis erit postea delibanda) ; versamur tantum in sententiis poetæ expromendis quæ ad Socratem ipsum referri posse jure videantur.

Ne autem a consilio deerremus, illud primum ponamus, de quo inter omnes convenit, scilicet tria esse quibus morum disciplina apud Socratem pæne tota contineatur. — Primum enim Socrates docet cuique a natura subjici *notionem recti*, et eam constantem certamque, omnino alienam a voluptate, propriaque utilitate, ex quibus tota pendet sophistarum de moribus doctrina ; — deinde *utilitatem* ab *honestate* non posse separari, « sic ut hæc duo, verbo inter se dis-

crepare, re tamen unum sonare videantur [1]; » — denique, quod maximum est, virtutem *scientiam* quamdam esse. Ea sunt quasi fundamenta quibus innititur Socratica quæ est de vita et moribus philosophia.

Fateamur quidem necesse est non posse fieri ut ea quæ noster poeta vel maxime sententiose dixerit certam et exactam hanc conformationem habeant quæ philosophici sermonis propria est. Præterea, quum Socrates non modo novam disciplinæ formulam instituerit, sed etiam exstiterit interpres et quasi vox ipsius humanæ conscientiæ, quæ est universa et æterna, periculum est ne ea quæ ex communi sensu poeta deprompserit ad philosophum traducamus. Ad rem igitur quam cautissime aggrediendum.

1. — Socratis moralem doctrinam primum recti et justi notione fundatam diximus. Quod ut constitueret, sophistas pertinaciter insectatus fuit qui nullam esse vitæ et morum rationem contendebant, nisi id quod cuique libet vel expedit. Qua de re Socratem, tum in plurimis Platonis dialogis, tum præsertim in *Philebo*, et *Gorgia* et *Reipublicæ* initio cum sophistis disputare satis notum. Socratis videlicet ea præcipua laus est, quod universam notionem honesti, sine qua nulla esse potest lex moralis, non modo explicando illustravit, sed etiam constanter a sophistarum temeritate et qua-

1. *De Offic.* l. III, c. XXI.

libet opinione prava, vel e religione ducta, tutam præstitit.

Apparentne apud Euripidem quidam loci in quibus notio recti ita dilucide proferatur, ut ex Socratica hac disciplina, non e sensu communi manasse videatur; quod nobis erit conjectandum, primo si quid in ejus sententiis occurrerit quod valde repugnet cum arte sophistica, deinde si res ipsa verbis e philosophia haustis comprehensa sit?

Quod ad sophistas pertinet, quæcunque omne eorum genus docet, quæcunque profitentur, si minus Gorgias ejusque auditor Polus, at certe Callicles et Thrasymachus, nempe justitiam hominum esse, non naturæ, leges ab humillimo et imbecillicimo quoque conditas, quibus vim potentiûm a se propulsaret, pulchrum denique esse si quis, magna mercede proposita, æquitatem violaverit; ea omnia nonne Euripides quasi contraxit his Eteoclis vocibus, quas Cæsarem quoque in ore crebro habuisse a Cicerone accepimus :

> Si enim jus violare oportet, regni causa
> Pulcherrimum est violare : in ceteris vero pietas colenda est [1].

Cui autem sententiæ a choro sic reclamatur :

> Non pulchre dicere oportet in rebus inhonestis,
> Non enim honestum id, sed justitiæ molestum [2].

Si id parum est, nihil forsan altero hoc loco signi-

1. *Phœn.* v. 524 et 525. Cf. Cic. *de Off.* III, 21, et quæ notata sunt in Eurip. edit. Glasg., v. 534. — 2. *Phœn.* 526 et 527.

ficantius videbitur, qui cum Socratis opinione, in *Gorgia* quidem expressa, aptissime convenit :

> Melius est victoriam non consequi infamem
> Quam cum invidia et vi justitiam subvertere.
> Dulce quidem in præsentia illud mortalibus,
> Sed cum tempore marcescit,
> Et etiam opprobrio fit familiæ [1].

Forsitan aliquis dicat ea ex naturæ potius quam philosophiæ fontibus fluere, et multas ejusmodi sententias apud Æschylum et Sophoclem posse deprehendi. Ut ut sit, novum prorsus et inauditum, duas scilicet doctrinas in Græcorum scena sic concurrere et inter se conflictari, ut una alteram expresse redarguat. Proinde si quis ad ipsa verba sermonisque formam respexerit, sane judicabit Euripidem proximum Xenophonti et Platoni fuisse.

2. — De ea vero justitiæ cum felicitate convenientia, quam sæpissime a Socrate comprobatam Xenophon docet, nemini dubium est quin ex Euripidis tragœdiis excerpi possint quæ sint Socraticæ disciplinæ consentanea. Difficilius vero hoc in loco decernere utrum philosopho an sibi plus Euripides debuerit : nam in eo philosophia cum sensu communi mirum in modum convenit; unde fit ut verba quoque, in ejusmodi sententiis exprimendis, non e proprio philosophorum, sed e vulgari omnium sermone su-

1. *Androm.* v. 778-783.

mantur. Credere tamen licet non popularis modo cujusdam sapientiæ, sed certioris altiorisque morum disciplinæ vestigia in his Euripidis carminibus impressa esse :

> Nemo unquam injustus fortunatus fuit,
> Sed in justitia spes est salutis [1].

Sit quidem verisimile Socratem sic locutum fuisse : nam si Xenophontem audimus, non quosdam recentiores subtilioris ingenii qui Socratem plus æquo πλατωνίζοντα faciunt, semper in præceptis Socratis inerat quoddam genus εὐδαιμονισμοῦ, cujus id propium erat ut colenda hominibus virtus proponeretur imprimis propter præmia quæ eam in ipsa vita sequuntur. Exempli causa, dicebat Socrates nihil esse commodi ex amicorum benevolentia, nisi etiam prodesse possint [2]. Additque, « quæcunque vel manus cuique subministrent, vel oculi prospiciant, vel aures ante percipiant, vel adjuvent pedes, in nulla earum rerum benefici amici inferiorem esse operam [3]. » Intemperantem virum notat qui, « ut ceteros detrimento afficit, ita seipsum multo magis lædat [4]; » ignorantiam reprehendit, « quæ sit in omnium contemptu [5]. » Denique Socrates, ut inter pulchrum et bonum, ita inter bonum et utile nihil interesse arbitratur.

Quam quidem prædicandæ virtutis rationem propter

1. *Hel.* v. 1030 et 1031. — 2. *Memorab.* l. I, c. II. — 3. Ibid. l. II, c. IV. — 4. Ibid. l. I, c. V. — 5. Ibid. l. III, c. VI.

præmia quæ ex ea existunt sequi possumus et apud Euripidem. Nam vere Socraticum agit, quum nos ita deterret quominus ceteris injuriam inferamus :

. . . . Nonne, si volumus
Alios aliquo malo vexare, ipsæ
Male patiemur, ut jus postulat [1] ?

Animadvertamus quoque quid sit propter quod nos Euripides cavere jubeat ne immodicæ loquacitatis simus, neve desipientem arrogantiam legem aspernando præferamus :

Effrenati oris
Et leges spernentis dementiæ
Finis est infortunium :
Tranquillitas vero
Vitæ et moderatio
Inconcussa manet, et
Servat domum......... [2]

Neque in privatorum tantum vita eam esse felicitatis cum virtute societatem et quasi necessitudinem Socrates judicabat. Qui quidem censebat, quod postea docuerunt quum Socratis discipulus Plato, tum post Platonem Aristoteles, idem esse publicæ privatæque felicitatis fundamentum ; nulli profecto reipublicæ, sublata æquitate, res prospere cessuras, et eum desipere qui aliter sentiat. Quibus Euripides valde assentitur :

Habes viam quamdam, o civitas, justam :
Nunquam oportet id omittere,

1. *Ion.* v. 1246-1250. — 2. *Bacch.* v. 385-392.

Colere (*scilicet*) deos : qui vero dissuadet
Proxime dementiam versatur,
Quum manifesta sint documenta
Hæc : illustre enim profecto
Deus hortamen dat,
Improborum minuendo
Superbiam semper [1].

Scio equidem nonnullas Euripidis personas admodum contraria proferre, quæ rei et ipsorum moribus respondeant. Nec miror : nam in fabulis ut alia aliorum conditio, et aliud aliis expedit, ita et sententiæ certare inter se et quasi collidi solent. Id autem ostendisse satis est ab Euripideis personis pura incorruptaque morum præcepta non semel usurpari. Nec supervacuum addere hujusmodi sententias plerumque a choro pronuntiari qui, quum ad neutras partes orationem suam accommodare cogatur, ea quæ ipse poeta senserit sincerius interpretatur.

Confitemur igitur non esse cur clamitemus : «Ea sunt prorsus quæ fabulis poetæ Socrates ipse intertexuit ! » Quo nihil videtur superbius. Suspicari tamen possumus certum quoddam vestigium Socraticæ morum disciplinæ Euripidis forsitan inscii animo et subinde carminibus hæsisse : quod quidem nos juvat scrutari et persequi.

3. — Nunc vertamur ad id quod ex philosophiæ visceribus haud ambigue exortum est : quis enim con-

1. *Heracl.* v. 901-910.

tendat Socratem sensu communi inductum fuisse ut hanc sententiam, exhibitam quidem et explicatam a Platone, improbatam vero ab Aristotele, proferret, virtutem scilicet *scientiam esse?* Nempe Socrates docere non dubitat qui justitiam nesciat eum non esse justum, contra qui quid sit justum perspexerit, eum jam justum esse.

Quoniam igitur omnes fatebuntur hujusmodi sententiam a vulgi opinione longe abhorrere, si eadem illa vel quod ex ea recte sequitur in scena occurrerit, veri erit simile poetam id non ex sese aut sensu communi, sed ex ipsa philosophia arripuisse : nam ex eo conficitur ut aliqua sit disciplina virtutis, et sive animi fortitudo sive justitia sint quæ in arte tradantur ; de qua re sæpe Socrati sophistisque controversia incidit. Idem ac Socrates videtur sentire Euripides quum dicit :

> Educatio enim bona pudorem affert :
> Erubescitque vir, in honestis rebus versatus,
> Malus esse quilibet : *fortitudo autem*
> *Doceri potest* (διδακτός), si quidem infans docetur
> (Ea) dicere et audire quorum notitiam non habet [1].

In his quoque quæ sequuntur carminibus aliquid inesse dixerim disciplinæ atque etiam orationis Socraticæ :

> Si vero, quum sis ipsa vates deosque esse credas,
> (Tu tamen) justitiam patris violaveris,

1. *Suppl.* v. 911-916.

Fratri autem injusto præstiteris benevolentiam,
(Id erit) turpe, te omnes quidem *divinas res cognoscere*,
Et ea quæ sunt et quæ non sunt, *justa vero ignorare* [1].

Nec miretur quisquam si, philosophis plurimis in hoc a Socrate dissentientibus, ita in fabularum varietate quas Euripides expressit, contraria causa agitur : namque adest ille Hippolytus qui secum consentit, dum sapientiam in natura, non in arte versari proclamat :

Pudor vero (illud) [2] fluviatili rore irrigat.
Qui nihil edoctus fuit (διδακτὸν μηδέν), sed ex natura
Sapientiam sortibus et in omnibus rebus semper,
Illi decerpere flores licet, malis vero nefas est [3].

Quum virtus in scientia constare Socrati tota videatur, sequitur rectam educationem ad virtutem multum valere. Ipse id prope unum sermonibus enitebatur ut recti honestique notitiam, quod, si plane perspiceretur, « incredibiles amores » concitaret, penitus animis audientium infigeret. Pro moribus quos natura aut usus aut ceterorum conversatio facit, morum scientiam instituit, quæ, quum sit perspicua et constans, a certaque ratione proficiscatur, efficit ut nostræ actiones veræ virtuti congruant.

Quod quidem non ita expresse, sed non minus fortiter pronuntiat noster poeta :

Diversa sunt ingenia mortalium,
Dissimiles et moribus : recti vero

1. *Hel.* v. 919-924. — 2. Pratum intellige in quo Hippolytus flosculos delibavit Dianæ offerendos. — 3. *Hipp.* v. 78-82.

(Mores) certum bonum semper.
Et educatio recte instituta
Multum valet ad virtutem [1].

II. Hactenus dictum est de iis quæ in morali doctrina Socratis ad θεωρητικὴν ἐπιστήμην imprimis spectant: nunc rerum ordine adducimur ut philosophum et poetam conferamus in iis quæ ad πρακτικὴν ἀρετὴν, sive *virtutum officiorum*que vitæ humanæ cognitionem et usum, pertinent. Primo quidem aspectu, nulla pars operis nostri planior et facilior est. Promptum enim esse videtur apud Euripidem sententias et præcepta plurima invenire quæ, nulla vi aut cavillatione adhibita, ex Socratica sapientia nata esse dixeris. Quæ tamen via quam sit lubrica paucis explicandum.

Quod enim nobis jam non semel objici potuit idem vehementius recurrit, neque id est quod tam facile refellatur. Verendum ne causæ nostræ ipsi noceamus, dum ad eam confirmandam argumenta, ut prima quæque adsunt, accommodare videmur. Proposita fere qualibet sententia, dicat aliquis eam e naturæ vel conscientiæ universo fonte defluxisse, qui nullius sit privatim, nedum Socratis. Scio equidem illud ipsum philosophi unius proprium fieri posse, quod jam antea enuntiatum forsan fuerit : is enim id vere occupat et suum facit, si quæ inde sequantur, nec prius fuerint ceteris cognita, primus enucleate explicat.

1. *Iph. in Aul.* v. 559-564.

Sic vere Socratis est τὸ γνῶθι σεαυτόν ut proprium est quoque nostri Cartesii celebre illud *cogito ergo sum*, quamvis utraque sententia ab utroque non primum prolata fuerit; sed quum ut Cartesius ita Socrates primi aperuerint quidquid inclusum abditumque his dictis subesset, ea quasi juris sui fecere. Sua autem poetæ plerumque fabula non tantum dat spatii, quo possit quid vulgatæ cuidam sententiæ philosophicum insit et quasi lateat eruere et explanare, ita ut sæpe apud poetas philosophiam suspicari possimus, non plane perspicere.

Exempli causa, sententiose quidem dicit Andromache :

> Melius est mortuum esse quam ærumnose vivere;
> Nihil enim malorum sensu dolet [1].

Sic Socrates jam in extremo spiritu se ultro adire mortem profitebitur, quæ ipsum ex incommodis senectutis eximat, traducatque in statum priore beatiorem, vel sentiendi omni facultate carentem [2].

Hecuba alias :

> Nemo est mortalium qui sit liber :
> Aut pecuniæ enim servus est, aut fortunæ [3].....

Quoties et Socrates cum ceteros discipulos, tum Euthydemum docet quicumque ventri aut avaritiæ aut

1. *Troad*. v. 631 et 632.— 2. *Mem*. l. IV. c. VIII.— 3. *Hec*. v. 864 et 865.

suis cupiditatibus indulserit, eum pessimam servitutem servire, nedum liberi viri nomen sibi jure vindicet [1]. Non tamen idcirco affirmaverim in utroque loco aliquid a poeta de Socratica disciplina fuisse delibatum.

Haud scio an Euripides propius Socratem accedat in sententiis quæ ad familiam pertinent, exclusis tamen verborum contumeliis quæ ille in feminas, apte et inepte, comica quadam indignatione ingerit. Nobis autem dignior videbitur qui cum Socrate componatur, quum eam vitæ domesticæ sanctitatem prædicabit, ex qua constat tum penatium decus, tnm sanguinis a parentibus ad liberos traditi fides et sinceritas. Nonne Socratici quidquam in his versibus agnosci possit ?

Non est hoc pulchrius decus liberis
Quam e patre bono fortique natos esse,
Et ducere uxores ex bonis. Qui vero, victus libidine,
Cum malis se conjunxit, (eum) non laudabo,
Quod liberis opprobrium voluptatis causa reliquerit [2].

atque in his etiam :

Quod inhonestum est, nunquam fit honestum ;
Neque (sint) filii contra fas
Matris partus, opprobriumque patris [3].

Quod ad feminas ipsas spectat, patet Euripidem a se ipso multum dissidere : nam qui in universas petulanter invehatur, adeo ut Iphigeniam inducat hu-

1. *Mem.* l. IV, c. v. — 2. *Heracl.* v. 297-302. — 3. *Phœnis.* v. 814-817.

mili animo fatentem « satius esse vel unum virum quam mille feminas lucem adspicere [1]; » profiteaturque, Hippolyto usus interprete, se nunquam passurum odium suum restingui vel mitigari [2]; idem, inquam, in suis fabulis quasdam sic effingit animique bonis et virtutibus honestat, ut ipse Euripides Euripidem redarguere velle videatur. Nonne etiam Alcestis regendæ familiæ rationem ex *Œconomica* Xenophontis didicit? quemadmodum enim domina, qualem exhibet Socratis interpres, apum regi similis est, qui adeo opificum benevolentiam sibi conciliat, ut, si forte alveum egrediatur, ceteras apes secum moveat; ita Alcestis servos tam humane tractat, ut moribundam illi, tanquam liberi parentem, piis desideriis prosequantur [3]. Euripides quoque, dum prædicat se ceteras omnes feminas, excepta matre, odisse, Socrati propior mihi videtur Lamproclem matri quid debeat admonenti, quam Æschylo docenti melius patrem de liberis meritum esse quam matrem [4].

In his et ceteris hujusmodi Euripidem dixerim quasi in propinquo Socratis versari. Operæ tamen pretium sit, si liceat, aliquid expressius aptiusque rei nostræ in medium afferre, quo minus de Euripidis cum Socrate quodam consensu in moralibus præceptis possit dubitari.

1. *Iph. in Aul.* v. 1394. — 2. *Hippol.* v. 664 et sqq. — 3. *Alc.* v. 192 et sqq. — 4. *Eumen.* v. 661 et sqq.

Una est virtus quam maxime Socrates probat et prædicare solet, moderatio vel temperantia. Quam quidem ut vita, ita colloquiis nunquam non commendavit ; illuc enim pertinet fere omnis sermo quem habuisse fertur cum sophista Antiphonte, qui ipsum arguerat quasi calamitose vivendi artem institueret [1]. Docet Socrates oportere homines in patriis legibus et religione stare, ut ipse præcepit Apollo; parvo esse contentos, quo facilius patriæ prosint, similitudinemque deorum ipsorum sequantur, qui nihil sibimet desiderent [2]; corporis quidem voluptates fugere, quarum titillatione animi extra se excussi sursum deorsum usque jactentur; modeste autem et sobrie prosperæ valetudinis aut fortunæ bonis uti, quibus omni tempore privari possimus [3].

Quæ quidem præcepta ad nostram utilitatem recte perspectam cognitamque accommodata crebro et Euripides tradit. Unus quidem locus est ille celeberrimus in quo Cyclops effrenatam libidinum intemperantiam comicis ornat laudibus [4], multo tamen plures proferre possumus, qui puriorem et vere Socraticam de temperantia disciplinam redolent. Quum longum sit singulos expromere, paucos modo transcribere abunde erit :

1. *Mem.* l. I, c. VI. — 2. *Ibid.*, id. — 3. *Ibid.*, l. IV, c. II.— 4. *Cycl.* v. 316 et sqq.

Nam mediocritatis primum quidem vel dictu
Nomen præstat, usuque longe (illa)
Optima est mortalibus [1]..........

. . . .

........Quid vero est abundans? nomen habet tantum;
Nam quæ satis sunt sufficiunt modestis [2].

. . . .

Vitæ vero accurata studia
Dicunt nocere magis quam delectare,
Et cum sanitate magis pugnare.
Sic quod nimium est minus laudo
Quam illud : ne quid nimis;
Et assentientur sapientes mihi [3].

Nec dedecet quibus poeta utatur verbis notare (μέτριον, σωφροσύνη, εἰς μέσον ἥκειν, μέτρια δ'ἐξαρκεῖν, etc.) : nam hæc sunt vocabula, vere e philosophico sermone hausta, quæ eadem sæpissime inter colloquendum Socrates usurpat.

Haud sane principes solique exstiterunt Socrates Euripidesque qui temperantiam et moderationem sic laudibus extulerint. Quo nihil contra crebrius fieri solet apud Græcorum veteres philosophos et poetas. Nam quemadmodum in iis rebus quæ sive ad rerum naturam sive ad artem spectant, Ἑλληνικῷ ingenio non id potissimum arridet quod grande videtur et nimium, sed quod bene compositum est et aliquid remissum habet in quo oculi acquiescant; ita imprimis virtus ponitur in quodam animi statu recte compositi et quodcunque immodicum et inconditum est repudian-

1. *Med.* v. 125-128. — 2. *Phœnis.* v. 553 et 554. — 3. *Hipp.* v. 261-267. Cf. *Iph. in Aul.* v. 544 et sqq; *Iph. in Taur.* v. 414 et sqq.; etc.

tis. Animadvertas tamen quid inter priores et Socratem Euripidemque intersit. Apud priores quidem, necnon et Æschylum et Sophoclem, τῷ μηδὲν ἄγαν religiosum aliquid subjicitur : nam quoniam aliquod est numen quod sua cuique dividit (Νέμεσις *a* νέμω), nec patitur quemquam extra fines sibi assignatos efferri et lascivire, viri esse sapientis judicant in qualibet re reformidare nimia quæ rerum necessariam vicissitudinem ipsi præsagiant. Contra apud Socratem et Euripidem temperantia virtus fit *humana*, quæ ex humana ratione omnino pendet, nedum cujusdam vis rerum occultæ, cui nihil resisti possit, reverentiam et metum significet. Ea est causa cur in re licet apud Græcos vulgatissima Euripides cum Socrate conferri posse nobis videatur.

Forsan, concludendi causa, quærendum sit an in Euripidis tragœdiis Socratis aliqua imago adumbrata fuerit : nam, si Xenophonti fidem adhibemus, Socratis persona nullo modo ab ejus doctrina separari poterat, ita ut unum et idem esset id quod agebat et præcipiebat. Inde verisimile videatur Euripidi animo Socratis ipsius imaginem obversatam fuisse, si quando virum vere sapientem voluerit inducere. Qua in re conjectura modo fieri potest. Interpretes tamen fere universi hunc locum in Socratem ipsum cadere senserunt :

Alius vero surgens dixit huic contraria,
Forma quidem non conspicuus, fortis vero vir,

Raro urbem et fori attingens circulum,
Operarius, qui et soli servant civitatem,
Acutus autem cominus ire disputando, quum vult,
Integer, qui inculpatam vixit vitam [1].

De qua re difficile est sententiam ferre. Longe aberat ut Socrates raro in hominum oculis esset, ut contra, auctore Xenophonte, mane ad loca deambulationibus destinata pergeret, et, quum frequens esset forum, conspiceretur in publico, reliquumque diei degeret ubi futurum esset ut inter plurimos versaretur [2]. Nec præterea Socrates αὐτουργός dici potest, quippe qui non agrum, sed æqualium animos ingeniaque excoleret. Forsan tamen ea interjecit Euripides, ut laus Socratis non nisi ingeniosis et callidis esset intelligenda : nam ex illa expressa imagine id exstat quod ad Socratem accommodari potest, hominem scilicet habitu vultuque longe minus præ se ferre solitum esse quam in animo clauderet : unde aliquoties cum Sileno Socrates facete comparabatur [3].

1. *Orest.* v. 917-923. — 2. *Mem.* l. I, c. I. — 3. V. *Conv.* Platonis.

CAPUT IV

DE LEGE ET PRUDENTIA CIVILI QUID SOCRATES ET EURIPIDES SENSERINT.

I. A morali Socratis disciplina vix disjungi potest quod sensit tum de ea quam naturalem legem vocamus, tum idcirco de legibus civitatum et regenda republica : nam reipsa primus philosophorum Socrates morum doctrina leges humanas reipublicæque administrandæ rationem contineri voluit, et leges *non scriptas* a *scriptis* legibus expresse separando, jus naturæ instituit. A Xenophonte accepimus quonam modo Socrates legum non scriptarum naturam describere solitus esset; eas nempe, quæ ubivis locorum eodem modo observentur, non hominum ingeniis fuisse excogitatas, nec scito populorum conditas, quum homines universi convenire non possint nec eodem sermone utantur; divinitus autem ad homines delatas fuisse[1]; quicun-

1. Socraticæ sententiæ interpres fuit Cicero in primo *de Legibus* libro, c. xvi. « Quod si populorum jussis, si principum decretis, si sententiis judicum, jura constituerentur, etc. »

que vero has violent, eos pœnas luere, quas nulla ratione possint vitare, eam contra legum ab hominibus latarum esse conditionem, ut qui eas transgressi fuerint, justa supplicia, vel latendo vel vi adhibita, interdum effugiant; deinde legem naturalem violantibus pœnas ex eo ipso in quo deliquerint proficisci, quod quidem fortiter affirmat Socrates, dum concludit τοὺς νόμους αὐτοὺς τοῖς παραβαίνουσι τὰς τιμωρίας ἔχειν [1]. Ea est recte expressa *legitimi* et *æqui* distinctio.

Quoniam id maxime unum ad Socraticam disciplinam pertinet, non abs re alienum videtur quærere an quid hujusce modi doctrinæ apud Euripidem deprehendi possit. Ceterum cuilibet succurrunt duo celeberrimi loci in quibus Sophocles ἄγραπτα κἀσφαλῆ θεῶν νόμιμα [2] magnifice prædicat, ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος [3], atque etiam Pindari dictum e fragmentis excerptum :

. . . . . . Κατὰ φύσιν
Νόμος ὁ πάντων βασιλεὺς
Θνατῶν τε καὶ ἀθανάτων.

Unde in quæstione versari possit utrum illam novam et excellentem sententiam poetæ a philosophis an philosophi a poetis fuerint mutuati. Qua controversia neglecta, mirum omnino nobis videretur, si Euripides id jam a Sophocle prolatum, quoque nihil magis socraticum sapit, totum omisisset.

1. *Mem.* l. IV, c. IV. Cf. Cic. *de Repub.* l. III, c. XVII : « Unusque erit communis, etc. » — 2. *Antig.* v. 460 et sqq. — 3. *Œdip. Rex.* v. 866 et sqq.

Quam eamdem sententiam, ut mihi videtur, non sane Sophoclea dicendi gravitate, sed quasi oblique et minutatim exhibet Euripides, ita tamen ut agnosci possit : nam quamvis non semel poeta significet legem mobili populorum suffragio constitui, in aliis quibusdam locis, Socraticam disciplinam secutus, asserit neque vi neque manu omnem hominum cœtum, sed jure bene descripto sociare posse. Sic Tiresias :

> . . . . Sed mihi, Pentheu, crede,
> Ne vim (τὸ κράτος) jactes apud homines valere
> Neque, si quidem existimes (tua vero opinio est vana),
> Sapere quidquam te putes [1]. . . . .

Hac lege, sempiterna et immutabili, quippe quæ naturæ congruat, omnes gentes comprehendi non ignorat Euripides :

> Et illic turpia et hic dedecus habent [2].

eamdemque ut hominibus ita diis ipsis imperare :

> Sed dii validi sunt, et illorum domina
> (Est) lex [3]. . . . .

legi deinde certam quamdam vim natura inesse in rectis pravisque sanciendis :

> . . . . Temporis enim non sustinuit
> Vices respicere
> Legum contemptor, quum iniquitati indulget.
> Fregit (ipse) felicitatis nigrum cursum [4].

1. *Bacch.* v. 309-311. — 2. *Androm.* v. 244. — 3. *Hecub.* v. 799 et 800. — 4. *Herc. fur.* v. 780-784.

Quanquam alias sententias, sive vulgares, sive sophisticas, ex Euripideis fabulis eruere possumus, quæ his adversentur, tamen id quod contendimus minime antiquandum arbitramur : unum enim probare nobis opus est, scilicet Euripidem quod Sophocles quidem summa verborum granditate enuntiavit, Socrates vero dialectice persecutus est, idem et mente concepisse et carminibus expressisse. Unde non conjiciendum forsan a Socrate Euripidem versuram fecisse, in ea re tamen aliquam exstitisse poetæ et philosophi consentionem.

A Sophocle vero Socraticam de legis natura sententiam multo excelsius quam ab Euripide propositam fuisse non est cur miremur : nam Sophocleæ menti aliquid maxime religiosum subest quod omnino ab Euripide alienum est. Quantum inter utrumque intersit senseris, si animadverteris Sophoclem quidem aliquam esse legem, propterea quod dii existant (ὧν Ὄλυμπος πατὴρ μόνος); Euripidem contra aliqua esse numina, propterea quod lex existat, credere (νόμῳ γὰρ τοὺς θεοὺς ἡγούμεθα[1]). Inde fit ut lex, quæ olim divinitus ad homines demissa fuerat, nunc in cujusque nostrum mente scripta hæreat, et, quamvis divinam originem sibi nuncupet, numinum ipsorum præcepta, nisi secum consentiant, respuat : nam ejus temporis jam præsagia

1. *Helen.* v. 800.

quædam deprehendi possunt quo dii eadem lege quam condiderunt ipsi tenebuntur. Qua saltem in re Euripides propius Socratem, quam ipse Sophocles, accedit.

II. Nobis nunc quærentibus an Euripides in rebus præcipuis quæ ad civitatem pertinent quædam cum Socrate communia habeat, videndum ne Xenophontis Platonisve proprias opiniones ad ipsum Socratem transferamus : nam in disputando de re civili, suam uterque speciem civitatis quasi animo intuetur, ita ut de Socratica via, quam uterque sequi se profiteatur, sæpissime deflectat. Patet non fieri posse ut Platonem in eo loco Socraticæ doctrinæ testem proferamus. Quamvis autem Xenophonti major fides adhibenda sit, sua et illi oculis obversatur perfectæ, ut opinatur, reipublicæ, scilicet Lacedæmoniorum, imago, ad quam describendam et commendandam aliquoties adductus fuit ut magistri verba inflecteret. Si quis tamen *Memorabilia* pervolverit, quædam statim agnoscet quæ ab ipso Xenophonte excogitari non potuerunt, ideoque vere Socratem sapiunt. Sunt ea primum quæ et summa doctrinæ et ingenio et omni vita Socratis maxime sunt confirmata, deinde ea de quibus uterque discipulus consentit.

Inde satis constat (neque Xenophon in eo a Platone dissentit) Socratem duo inter se verbis discrepantia, re autem simillima, aversatum fuisse, scilicet tum unius

viri tum plebis tyrannidem. Quippe unius superbam dominationem, quam, utpote æquo contrariam, vim appellat, eodem prosequitur odio atque illius inconsultæ et ignaræ plebis dominatum, quam mentitæ eloquentiæ præstigiis decipiant sophistæ et quolibet rapiant. Cujusmodi odium non modo ex animo, sed etiam ex sua ipsius doctrina hausit Socrates, quippe qui, quum ἀρετὰς ἐπιστήμας εἶναι profiteatur, civilem prudentiam quamdam esse virtutem, et ideo scientiam sentiendo secum constet. Ergo ut æquum virum ita rei scientem decet esse, si quis velit numero τῶν ἀρίστων haberi qui in rebus publicis gerendis jure versentur. Quod autem verbis præcipit idem Socrates publice secutus fuit : nam ut fortissime Triginta Tyrannorum imperata detrectavit, ita malæ plebis libidini sui capitis periculo moram fecit.

Constantissimam illam doctrinam et maxime confirmatam minime a poeta exspectare possumus, imprimis quum ille, sophistarum disciplinis imbutus, sua quolibet e fonte hauriat, et insuper in scenam personas inter se genere et habitu et oratione diversissimas inducere cogatur. Socratica tamen sententia ex pluribus Euripidis fabularum locis erit perspicienda. Nullam enim esse civilitatem a scientia separatam, Socratis modo, Euripides profitetur :

Ceteroquin quomodo non recte rationes dijudicans,
Recte possit populus regere civitatem ?

Tempus enim doctrinam, quam celeritas,
Meliorem dat : rusticus autem vir pauper,
Etiamsi non sit imperitus, præ laboribus,
Non poterit ad publicas res respicere [1].

Unius contra dominatum gravissimam esse reipublicæ pestem argumentis vere Socraticis idem probat :

Nihil tyranno infestius civitati,
Ubi, primum quidem omnium, non sunt leges
Communes, unus vero imperat, legem possidens
Ipse penes se, et illud (*lex*) non jam æquale est.
Scriptis vero legibus, imbecillisque (vir)
Et dives jus habet æquum :
Et licet pauperioribus ingerere
Potenti eadem, quando male audit (pauper);
Vincitque minor potentem, si justam causam habet [2].

Ut Socrati, ita Euripidi desipere videntur qui aliquem imperitum, divitiis vero circumfluentem, pro duce constituunt, ita ut aliquando exercitus vel reipublicæ salus ex una *faba* pendeat :

Neminem commodi proprii causa præfectum facerem regionis,
Neque ducem exercitus : sapere (νοῦν ἔχειν) ducem oportet
Civitatis : quia vir quivis (*ejus est*) rector, si sapientiam habet [3].

Ad summum, quoties statum reipublicæ servatis legibus contineri Socrates prædicat! Nonne et Euripides?

. . . . Quod enim continet hominum civitates
Hoc est, quando quis leges servat honeste [4].

Quædam autem alia sunt Socraticæ de civili scientia

1. *Suppl.* v. 417-423. — 2. *Suppl.* v. 429-438. — 3. *Iph. in Aul.* v. 373-376. — 4. *Suppl.* v. 312 et 313.

disciplinæ, quæ, etiamsi a Xenophonte fuerint omissa, ex plurimis indiciis non adeo inconsulte conjectura assequi possumus. Exempli gratia, quamvis nihil certi Socrates, auctore Xenophonte, prætulerit de ea quæ *in medio est* civium parte, haud scio an ille huic Euripidis sententiæ, notatione quidem dignissimæ, favisset :

Tres enim (*sunt*) partes civium : alii quidem divites,
Inutilesque, pluraque expetunt semper :
Alii vero nihil habentes, et indigentes victu,
Metuendi, plurimum invidiæ indulgentes,
In divites aculeos emittunt malos,
Linguis improborum ducum illusi :
Trium autem partium ea quæ est in medio (ἡ 'ν μέσῳ) servat urbem,
Ordinem conservans, quemcunque constituerit civitas [1].

Unde nata est hujusmodi sententia tam exacta verborum descriptione interclusa? Sin minus Socratis est, nonne Socratica? Nam minime demiror de hoc sileri a Xenophonte, quippe qui in commendanda Lacedæmoniorum civitate, optimatium quidem arbitrio recta, continuo versetur. In eo Socratem cum Xenophonte non omnino consensisse crediderim. Quid enim? Rempublicam quidem penes τοὺς ἀρίστους esse oportere Socrates, ut Xenophon, censet; sed eos esse τοὺς ἀρίστους intelligit non qui nobilitate et divitiis plurimum polleant, sed qui, parvo contenti, minimis rebus indigeant, ita ut quidam tyranni εἰς τὸν δῆμον, alii con-

1. *Suppl.* v. 238-246. — Cf. Arist. *Polit.* l. I, c. 9, § 8 et 9.

tra, qui pauca possideant, si quidem rei familiaris administrandæ periti sint, εἰς τοὺς πλουσίους sint referendi [1]. Quo quidem usus verborum circuitu, nonne et Socrates *medium* illud revera constituit, quo Aristoteles, secundum Euripidem, civitatem stare affirmat?

Nulla vero conjectura opus est ut de alia re, quæ ad civitatem maxime pertinebat, scilicet de mancipiorum habitu et conditione, Euripides cum Socrate conferatur.

Non sane contendimus Socratem veterum opinionem eo præivisse ut, Senecam ipsum antegressus, homines inter se natura æquos esse fuerit professus. Quum vero primus pravam opinionem, qua fabrorum ministeria publico quodam contemptu dehonestari solebant, excutere sustinuerit, idem videlicet iniquam illam conditionem et diversitatem quæ ex divitiis vel sorte nascendi oritur parum curavit. Servos autem mitius esse habendos arbitratur, pro hominibus non pro jumentis. Vide enim qua ratione utatur Ischomachus, ut famulam ipsius rei familiari bene consulere edoceat : « Eam ut benevolo esset erga nos animo consuefaciebamus communicando cum ea lætitiam nostram, quoties læti essemus : ac vicissim, si quid accidisset triste, ad hoc quoque illam advocando [2]. »

1. *Mem.* l. IV. c. II. Cf. Cic. *Parad.* VI. — 2. *Œconom.* c. IX.

Idem « quos, ait, servos animadverto laudari a me cupere, hos velut ingenuos tracto, neque divites tantum facio, sed etiam honore prosequor, ut viros bonos et honestos [1]. » Hæc prorsus nova erant ac fere inaudita : nam, quamvis Solonis legibus pœnæ constitutæ essent, si quis servo vim intulisset, quamvis etiam Athenienses servis qui ad Salamina et Platæas occubuissent eosdem quos ingenuis viris publice honores tribuissent, nihilominus nomen servi et etiam liberti ita in contemptu erat ut cum plurimis tum Aristoteli nihil aliud servus videretur nisi *animatum instrumentum* [2]. Euripides autem in eo maxime cum Socrate consentit. Haud sane consultat num jure quodam naturali ingenuus ille animus, mancipii corpore fortuito circumdatus, sit in heri alicujus potestate; sed sua nobilitatem, quæ virtute destituta est, laude exuit, et contra infamiam servitutis, cui virtus addicta est, levat. Nam de nobilitate :

Nobilitatis causa pauca habeo quod dicam bona :
Bonus enim quidem nobilis vir mihi (videtur) :
Injustus vero, etiamsi meliore patre
Quam est Jupiter natus sit, ignobilis esse videtur [3].

At multo præclarius de servis :

Una enim res servis dedecus affert,
Nomen : quod vero ad cetera, liberis
Nullus deterior servus, qui honestus fuerit [4].

1. *Œconom.* c. XIV. — 2. Ἔμψυχον ὄργανον. *Polit.* l. I, c. II. — 3. Fragm. ed. Glasg. p. 605. x. — 4. *Ion* v. 854-857.

Ego quidem, quanquam natus sum servus, sim
Numeratus inter generosos
Servos, nomen liberum non habens,
Sed mentem [1]. . . . .
. . . .
Servi enim nomen non bonum dedecorabit :
Multi autem meliores sunt generosis [2].

Quibus, ut mihi videtur, satis perspicuum est in Euripidis fabulis tum alia quædam, quæ sibi vel sophistis debuerit, tum Socraticæ civilis disciplinæ certum aliquod vestigium inesse, idque imprimis, quod maxime Socraticum est, eamdem legem naturalem ut moribus, ita civili scientiæ pro fundamento subesse.

1. *Helen.* v. 728-732. — 2. Fragm. p. 628, vi.

CAPUT V

DE RELIGIONE APUD SOCRATEM ET EURIPIDEM.

Ut hanc nostræ disquisitionis partem quæ ad rem multum conferat diligenter exsequamur, perspicere primo debemus quo modo Euripides in popularem religionem invectus fuerit, deinde quid de natura Dei, Providentia, animi immortalitate et vita futura ipse dixerit.

1. Minime res postulat ut quæcunque crimina in deos Euripides ingesserit singula excutiamus; quam quidem provinciam multo plures jam sibi assignavere. Nostra modo refert, quum pæne innumera sint quibus noster poeta, æqualium more, deos acerrime increpuerit, quærere an quædam sive ex Socrate sive ex mente Socratica proficisci videantur. Ad id dijudicandum, mentio prius habenda est de certamine jampridem a philosophis in vulgarem religionem suscepto.

Religionem enim tot fabularum mendaciis subnixam primo *physici*, argumentis quidem e contemplatione naturæ ductis, deinde *sophistæ*, quadam cavillandi et dubitandi ratione, ut solebant, adorti fuerant : eamdem denique Socrates funditus evertit, propterea quod ipsius humanæ conscientiæ quasi jus vindicat.

Nec miretur quisquam id fuisse philosophiæ progrediendi genus et quasi incrementum : nam, quoniam in natura rerum consideranda, ante Socratem, Græcorum philosophia versabatur, non fieri poterat quin prima numinum insectatio ex ea naturæ inspectione arcesseretur. Quo enim modo Colophonius Xenophanes popularem religionem exagitat? Profitendo scilicet non plures esse deos qui omnes figurarum species induant, « unum autem esse omnia, neque id esse mutabile, et id esse Deum, neque natum unquam, et sempiternum, conglobata figura[1]. » Anaxagoras postea reus factus est impietatis, imprimis quod dixisset eamdem esse Dianam quam lunam, eumdem Phœbum quem solem, solem vero nihil nisi igneam laminam. Ab utroque nullum profertur argumentum adversus deos quod ex morali disciplina fluat.

Sophistas autem liquet non potuisse e morum regula argumenta depromere quibus religionem labefacerent,

1. Cic. *Acad.* l. II, c. XXXVII.

quum infitias eant certa esse quædam officiorum præcepta, neque quemquam alium vitæ humanæ finem nisi voluptatem proponere soliti sint.

Socrates ejusque discipuli primi religionem popularem ut bono et honesto contrariam respuerunt.

Ut verum tamen loquar, Socrates, qualis in *Memorabilibus* effingitur, non religionem ipsam videtur aggredi. Imo miratur Xenophon quo pacto Athenienses persuasum habuerint Socratem non recte de rebus divinis sensisse, « quum ille nihil unquam impii in deos vel dixerit vel commiserit; potiusque sic de iis et locutus sit et in eos se gesserit, ut si quis ea tum dicat tum faciat, sit atque haberi debeat religiosissimus[1]. » Contra primo responderi potest non eum esse Xenophontem quo satis certo auctore stetur, et sane infirma esse argumenta quibus crimen impietatis Socrati objectum conatur refellere; deinde Socratis moralem disciplinam (nec vero id fefellit ejus accusatores) adeo cum vulgari religione, ad fovendas hominum libidines omnino composita, pugnare, ut una alteram funditus ac necessario evertat. Ideo nobis Plato certior Socratis interpres videbitur, quum sive in *Euthyphrone*, sive in *Republica* et *Legibus*, istam irreligiosam religionem ex poetarum commentis conflatam explodet, deosque ipsos in judicium humanæ conscientiæ vocabit.

1. *Mem.* l. I, c. 1.

Quod si ea quæ Plato in popularem religionem argumenta torqueat contraxeris, hisce duobus ea contineri senties : primo moralem legem, quum sit absoluta atque universa, haud minus ad deos quam ad homines pertinere, neque aliam esse diis, aliam hominibus officiorum regulam[1]; deinde cujusque religionis usum in divino exemplari imitando versari, ex quo effici ut, si pravum sit exemplar, in pejus quoque mores hominum abeant, nec quidquam subsit quo certa quædam educationis ratio constituatur[2].

Euripides autem quid dixerit attendamus :

Ego vero deos neque connubiis illegitimis
Delectari puto, et vincula injicere manibus
Neque existimavi unquam, neque credam,
Nec alterum alterius dominum natum esse :
Indiget enim deus, si quidem reipsa est deus,
Neminis : poetarum (*sunt*) hæ miseræ fabulæ (δύστηνοι λόγοι) [3].

Nonne satis aperte auditur quasi vox ipsa humanæ conscientiæ, reclamantis quidem, pro lege morali, ne dii quæ jubeant transgrediantur, quæve transgrediantur jubeant? Nec dubitat poeta sententiam ferre, nam Amphitryon :

Virtute te supero, mortalis ego, deum magnum [4].

Atque etiam Ion :

Quomodo igitur æquum est vos, qui leges mortalibus
Scripsistis, ipsos spretarum legum reos esse ?
Si vero, (non enim fiet), sermone autem utar,

1. V. *Euthyphr.* — 2. V. *Respub.* et *Leg.* — 3. *Herc. fur.* v. 1341-1347. — 4. *Id.* v. 342.

Hominibus pœnas dabitis violentarum nuptiarum,
Tu et Neptune, et Jupiter, qui in cœlo dominaris,
Templa, redimendo pecuniis (*vestras*) injurias, exhaurietis,
Voluptates enim ante curam (*hominum*)
Sectantes, injuste facitis. Non jam homines malos (*esse*)
Dicere æquum est, si deorum vitia
Imitamur (μιμούμεθα), sed eos qui hæc docent [1].

Nihil opus est (quod quidem facillimum sit) plures ex Euripideis fabulis locos excerpere qui ad idem spectant. Nunc patet Euripidis de divinis rebus opinionem posse hac verborum complexione contrahi : nempe deos, si tot et tantis sceleribus se contaminaverint, non dignos esse quos imitemur et colamus, imo nullos esse; contra, si justo honore sint prosequendi, eos nihil horum quæ mentiti sint poetæ unquam admisisse. Nonne eadem fere est ea sententia quæ Platonis in tertio *Reipublicæ* libro?

Ceteras deorum insectationes apud Euripidem, dum eos et pietatis in parentibus et conjugalis fidei et ceterorum officiorum quæ ad mores pertinent violatores modo irridet, modo increpat, memorare supervacaneum est : nam eodem omnia recidunt, atque etiam, si ausim dicere, Euripides, quum justitiæ et virtutis patrocinium a diis ad hominum conscientiam traducit, mihi magis socraticus quam ipse Socrates videtur, nedum ab eo dissideat. Quod, exempli causa, Socrates forsan duabus Veneribus, quarum una est οὐρανία

1. *Ion* v. 442-452.

altera autem πολύδημος, significare voluit[1], idem Euripides detegit, dum Venerem profitetur nihil esse nisi humanarum libidinum expressam imaginem :

> Stulta enim omnia sunt Venus mortalibus,
> Et nomen deæ recte a stultitia (ἀφροσύνης) incipit[2].

Si quidem vel disjectæ hujusmodi sententiæ deprehenduntur, nonnihil jam causæ est cur conclusio nostra sit probata. Accedit quod summa etiam nonnullius Euripidis tragœdiæ eodem videtur pertinere. Ne plures proferam, dicam utramque fabulam quæ *Helena* et *Ion* inscripta est, in notanda libidine Veneris atque Apollinis totam versari. In priore enim, contra Venerem totam in cupidinibus et proditionibus quibus gentes cruore respergantur suscitandis[3], stat innuba Theonoe quæ, mortalis licet, a poeta recti honestique custos constituta est[4]. Res autem forsan in *Ione* fortius expressa videbitur. Quid enim dici asperius potest in flagitiosam Apollinis petulantiam? Et Deus, quanquam absens, non improbas modo, sed pæne ridiculas partes agit; nam, urgentibus convitiis oppugnatus, ne audet quidem, Minerva fatente, ipse ad dicendam causam venire, nedum Creusæ maledicta corrigat[5]. Necnon quiddam novum est in ipso Ione, qualem finxit Euripides. Scenam enim ingressus, ille Ion laudi-

1. V. *Conv.* Xenoph. — 2. *Troad.* v. 989 et 990. — 3. *Hel.* v. 1102 et sqq. — 4. *Id* v. 998. — 5. *Ion* v. 1557 et sqq.

bus Apollinis fabulam auspicatur, nihil sibi optans nisi ut tutus ab omni labe servetur, quo acceptius deo exerceat sacerdotium [1]. Quanto idem dolore, et subinde quanta ira exardescit, ubi unam feminam cognovit ab ipso Apolline ad stuprum raptam fuisse! Nec jam potest non exuere fidem et pietatem qua diu delectatus fuit. Nam negat æquum esse deos quæ jura ipsi præscripserint polluere. Quis autem non intelligit Ionem vere humanam conscientiam repræsentare, quæ, inanibus fabulis primo implicata, ubi, præfulgente philosophia, perspexit quantum dii a recto abhorrerent, istius religionis jugum excussit?

Ea autem sincerior divinarum rerum intelligentia, quæ jam ex Pindari carminibus exstat [2], in Euripidis fabulis conspicua est. Nec mihi dubium est quin eam imprimis ex Socratica disciplina hauserit. Nullo enim modo dici potest Euripidem vulgaris opinionis interpretem fuisse. Nam primo, ut ante dictum est, non adeo luculente dixisset poeta, nisi doctrina philosophica fuisset imbutus; deinde quis crediderit suos diis corruptos mores vulgo crimini datos, qua maxime ætate in pejus publici mores abierant? Ex quo haud temere inferas Socratis, non vulgi, opinionem in pluribus locis tragœdiarum Euripidis reperiri posse.

1. *Id* v. 82 et sqq. — 2. *Olymp.* I et IX.

II. Quamvis cuique jam pateat Euripidem in eo vere Socraticum fuisse quod deos, utpote qui a recto discederent, de ipsis templis exterminaverit, non ideo facilius dijudicare quid ipse revera de divinis senserit. Estne Deus? quis et qualis? numinisne mente atque ratione res humanæ administrantur? qui cultus et honores Deo adhibendi sunt? animi ne denique cum corporibus morte delentur? De plerisque his rebus quid sententiæ fuerit Socrati satis notum. Quoniam autem Euripidis personæ sive aliæ ab aliis, sive ipsæ a se ipsis mirum in modum dissident, quî scire possumus quid ipsi poetæ de his videatur? Tamen in his quoque rebus non inutile erit notare si quid alicujus momenti esse videbitur.

Ac primum nequimus non anquirere utrum Euripides Deum aliquem esse senserit necne. Nam si Deum nullum esse existimarit, neminis jam nobis videatur nisi Diagoræ et Protagoræ et ceterorum sophistarum discipulus. Quibus autem locis Euripides numen quodlibet infitiatus esse habetur, ii, præterquam quod rarissime occurrunt, mea quidem sententia, non multum valent : in personas enim potius quam in ipsum poetam cadunt. Imo plures locos proferre possumus in quibus Euripides Deum esse, et a Deo hominum generi universo provideri affirmat.

De natura autem Dei quid Euripides? Scimus qui-

dem quid de re Socrati videatur, quantoque excelsiorem quam æquales Dei intelligentiam comprehenderit. Nam Socraticus Deus non modo νοῦς est Anaxagoræ, cui et conscientia sui et providentia deest, quique, omnibus semel designatis et descriptis, quasi recessit et intra se ipsum totus confugit; sed etiam mens est quæ omnibus mundi partibus adest, nec jam universum universa lege, sed singula singulis legibus regit. Mens est præterea quæ suimet conscia curam rerum humanarum gerit et intra nos sedet. Quam mentem, id est, Deum esse tum ex universo rerum ordine, tum ex suis cujusque animantis finibus Socrates probat : nam rectissime explicat quemadmodum a summo rectore et domino omnibus animantibus, præsertimque homini, propter quem cetera fuerint condita, consultum sit. Primus ergo omnium Socrates ratione quæ ex *causis finalibus* pendet Deum esse confirmavit, et pæne totam ejus naturam bonitate contineri. Is est Socraticus Deus qualem nobis ut Xenophon ita Plato expressit.

Haud dubitare quisquam potest quin certum Socraticæ doctrinæ vestigium his Euripidis carminibus insit :

O terræ vehiculum, et in terra sedem habens,
Quicunque tandem tu es, nobis difficile investigandus,
Jupiter, sive (*sis*) *necessitas* naturæ, sive *mens* (νοῦς) mortalium,
Te adoro : cuncta enim, per tacitam
Ingressus viam, *juste mortalia regis* [1].

1. *Troad.* v. 884-889.

Videtur quidem poeta hærere utri doctrinæ faveat. Quæ tamen vox νοῦς βροτῶν aliquid novi habet. Neque ab Anaxagora arcessitum esse potest, quum ibi mens appareat quæ mundum et res humanas æquitate regat (κατὰ δίκην τὰ θνήτ' ἄγεις). Alias Euripides :

> O Jupiter, quid dicam? utrum te homines respicere?
> An (*eos*) hanc opinionem habere frustra
> Falsam, quibus videtur deorum esse genus,
> Fortunam vero omnia mortalia gubernare[1]?

His quoque in versibus incertum videri potest utrum Euripides ipse Deum qui cuncta gubernet an mundum consilii et rationis esse expertem crediderit. Sed id saltem insigne et notabile utramque disciplinam ab Euripide induci et quasi ex contrario stare, eorum scilicet qui omnia fato contineri prædicant, Socratis autem, qui rerum naturæ partes ita constitutas esse docet ut cohærere nullo modo possint, nisi Deo moderante qui omnium rerum procurationem habeat.

Alius autem occurrit locus quem plurimum valere quis infitiabitur? Nempe in ea fabula quæ *Supplices* inscripta est, Theseus, philosophum ex improviso induens, longam quamdam commentationem, fabulæ haudquaquam necessariam, imo valde intempestivam, evolvit, qua divinam Providentiam esse comprobet humano generi diligentissime consulentem, et in eo ipso

1. *Hec.* 488-492.

argumentis innititur plane iisdem quibus apud Xenophontem Socrates[1]. Tria enim Theseus proponit. Primo, inquit, nobis Deus mentem, qua res intelligere possimus, attribuit (ἐνθεὶς σύνεσιν). Quid autem Socrates dum colloquitur cum Euthydemo profitente quidem deos alia quapiam re occupatos, hominum commodis non inservire : « Rationem nobis concesserunt dii (λογισμὸν ἡμῖν ἐμφῦσαι) qua de iis quæ sub sensus subjecta sunt ratiocinando et reminiscendo discimus, ad quæ singula conducant, multaque molimur per quæ bonis fruamur et mala depellamus. » Iterum Theseus : Deus linguam nobis dedit verborum nuntiam (ἄγγελον γλῶσσαν λόγων δοὺς), qua promere loquendo possemus quæ concepissemus mente. Quid Socrates? « Eloquendi nobis facultatem largiti sunt dii (ἑρμηνείαν δοῦναι), per quam invicem omnia bona inter nos docendo communicamus, et leges ferimus, et rempublicam administramus. » Quibus propositis Theseus subjicit : « Quæ sunt obscura (ἃ δ'ἔστ' ἄσημα), nec satis dilucide novimus, ignem inspiciendo vel exta vel volatus, vates præmonent (μάντεις προσημαίνουσι), » unde concludit :

Nonne igitur superbiores sumus, quum deus apparatum vitæ
Dederit talem, (*nos*) quibus hæc non sufficiant[2] ?

Idemque Socrates : « Quum nobis in futurum utilia prospicere non possimus, ita nos juvant dii ut per di-

1. Cf *Suppl.* v. 195 et sqq. et *Mem.* l. IV, c. III et l. I, c. IV. — 2. V. 214 et 215.

vinationem consulentibus se de futurorum eventu respondeant, et quo pacto fiant optime, doceant. » Unde et Socrates idem atque Theseus colligit « deos de hominibus magnopere esse sollicitos? » Nusquam videtur poeta propior a philosopho stetisse.

Quod vero ad ea pertinet quæ Dei *attributa* dici solent, quamvis et nonnulla hinc inde Socratem redoleant, quum, exempli causa, Deum exhibet Euripides *per tacita pergentem iter*[1], vel numinum *vim lentam quidem, ad extremum autem non infirmam*[2], sæpius tamen alia ex communi sensu, alia ex Anaxagora magistro haurire solet : nam Anaxagoram potius quam Socratem sequitur, quum Deum infinitum esse dicit, stellisque circumdatum et majorem quam qui templis contineatur[3]. Deus autem Socraticus sapiens, æquus, imprimis bonus ; non oculis percipi ipse potest, sed per opera sua spectandum se præbet ; quum mundo universo, tum præcipue humano animo adest, suamque in honesto viro expressiorem imaginem ostendit.

Nihil jam attinet Euripidem interrogare utrum Deum unum an plures esse deos censeat. His quæ diximus quæstio est profligata. Ceterum non Socrates primus Deum unum esse docuit. Id Xenophanes et Parmenides instituerant, tum Νοῦν Anaxagoras unum, simplicem-

1. *Troad.* v. 887 et 888. — 2. *Ion* v. 1615. — 3. Fragm. p. 704. fr. 156 et pass.

que et sincerum (καθαρός, ἀμιγής) professus fuerat. Ergo nihil est dubii quin Euripides, Anaxagoræ discipulus, si Deum esse crediderit, eumdem unum esse pro certo habuerit. Fieri autem potest ut veteres illi philosophi et ipse Socrates infra unum et solum Deum minores esse deos et subinde genios dæmoniaque existimarint. Inde ut apud priscos philosophos, ita apud Xenophontem et Platonem et Aristotelem atque etiam Ciceronem, Græcorum philosophiæ interpretem, alternæ vices fuere inter Θεόν et θεούς, *Deum* et *deos*, ita ut eodem verborum ambitu unus in plures aut plures in unum vertantur. Nec mirum idem Euripidi accidisse, ut satis constat multis locis quos enumerare longum est.

III. Nunc in *divinatione*, de qua mentio a Theseo supra facta est, et in *oraculis* per quæ Deus credebatur cum mortalibus quotidianam consuetudinem habere paulisper immorandum : nam id quoque notabile est, Socratem pariter et Euripidem nunc divinatione quasi argumento usos esse quo Dei providentiam demonstrarent, nunc eamdem in dubium vocavisse. Quod ad Socratem, satis constat id ei crimini versum fuisse « quod ea numina, quæ civitas pro diis coleret, deos non haberet, alia vero numina nova introduceret[1]. »

1. *Mem.* l. I, c. I.

Si Xenophonti credideris, Socrates « sacrificabat et sæpe domi suæ et sæpe communibus in aris totius civitatis, prætereaque non clam vaticiniis utebatur[1]. » Ipse in causa defendenda auctorem sibi profert Apollinem, a quo omnium sapientissimus judicatus fuerit[2]. Num ita dixisset Socrates, si nullam fidem Apollineo oraculo habuisset? Fateor : si tamen vel minimum attenderis, ex ipso Xenophonte ea colliges quibus satis perspicuum sit Socratem, quamvis religionum cultorem egerit, nova quædam divinis inserendo, sacra aut delevisse aut mutavisse : nam primo, quum diis faceret, censebat nullam hostiam diis acceptiorem esse quam castum animum et purum[3]. Quum deinde amicos moneret ut oracula nonnunquam consulerent, tum eos insanire dicebat « qui universa ex hominis consilio pendere » profiterentur, tum « illos qui per divinationem explorarent ea de quibus dijudicandi potestas divinitus hominibus esset concessa, dummodo discerent[4]. » Denique non modo Socrates auctoritatem oraculorum imminuit, sed etiam omnino eam tollit, dum animo quamdam inesse vaticinandi virtutem docet qua possimus, nullo intercedente, quidquid præceperit Deus præoccupare : nam nihil est aliud τὸ δαιμόνιον nisi divina vox (φωνή) quæ intus sonat. Quorsum igitur opus est Pythias sortes

1. *Mém.* l. I, c. I. — 2. V. *Apol.* Xenoph. — 3. *Mem.* l. I, c. III. — 4. *Ibid.* l. I, c. I.

sciscitari, quum in cujusque animo sedeat vates eo certior quo diis ipsis propior est? Id est novum numen quod Socrates in civitatem induxit.

Quibus dictis, quæramus an quodam modo Euripides cum Socrate consenserit.

Prima quidem specie, hoc inter philosophum et poetam interest, quod unus quasi oblique oracula labefactat, alter autem in eadem liberrime et contemptim invehitur. Mirum quod hujusmodi convitia frequenti theatro impune jactaverit :

. . . . . At vero res augurum
Perspexi quam malæ sint et mendaciorum plenæ :
Nihil igitur sinceri est in ignis flamma,
Neque in avium cantu : stultitia vero (*est*)
Opinari ab avibus mortales juvari [1].

Nec unquam hariolorum genus lacessere omittit, utpote malum, ambitiosum, quæstuosum, totum ex fraude et mendacio compositum, nihil veri nisi fortuito prænuntians. Necnon eos aperte irridet qui in animum inducant avibus vel extis deorum responsa proferri. Nihil Socratici in his verborum contumeliis deprehendas; sed quædam alia ibidem excerpere licet quæ ex Socratica disciplina hausta esse videantur. Notandum enim quibus verbis asperam oraculorum insectationem, paulo ante dictam, concludat Euripides :

1. *Hel.* v. 744-749.

Prudentia γνώμη bonumque consilium (*est*) optimus vates [1].

Cui quidem sententiæ sic chorus assentitur :

> Idem ego sentio de vatibus
> Quod senex : qui deos sibi habet
> Amicos, optimam domi habet divinationem [2].

Imo adjiciam quamdam esse, ni fallor, in una Euripidis fabula, τοῦ δαιμονίου Socratis imaginem saltemve adumbrationem : nam in *Helena*, quæ maxime a traditis fabulis abhorret, qualis sit quamque personam illa Theonoe susceperit animadvertas. Ea quidem non est vates quæ in Theoclymenis ædibus lateat, sacris initiata [3], sed regia soror, quæ, quum justitiæ sit observantissima, divinitus eam vaticinandi virtutem accepit, qua futura prospiciat [4]. Nonne Theonoe Θεοῦ νοῦν distincte exprimit quod δαιμόνιον vocat Socrates? Nam ille : « Alii auguria et omina et conjectores et vates appellant eos qui futura significant : ego vero dæmonium appello, mihique videor, dum sic voco, veriora magisque pia dicere, quam ii qui avibus divinam potestatem attribuunt [5]. » Theonoe et ipsa intra se habet δαιμονίον quo ad Deum proxime accedat, certiusque quam ambigua oraculorum voce quid sibi agendum sit admoneatur.

Hactenus, mea quidem sententia, Euripides, quoad res divinas, cum Socrate conferri potest. De his vero,

1. *Hel.* v. 757. — 2. *Id.* v. 758-761. — 3. *Id.* v. 821. — 4. *Id.* v. 823. — 5. *Apol.* Xenoph.

maxime secum pugnantibus, quæ apud Euripidem ad animorum naturam et immortalitatem pertinent, pauciora nobis sunt dicenda : nam, ut vere loquamur, nihil exstat quod sine dubio ex Socrate pendeat. Contra Euripides Anaxagoræ atque etiam Empedoclis disciplinam sequi videtur, quum dicit :

> Eunt retrorsum quæ ex terra
> Nata sunt in terram : quæ ex æthereo
> Effloruerunt partu, in cœlestem
> Polum redeunt [1]. . . . .

Quod omnino abhorret a Socratica sententia, qualem Xenophon Cyri morientis oratione explicavit : nam confidit Socrates animum, si vivat corporis quidem compagibus exsolutus, ad illud divinum, unde profectus fuerit, reversum iri; eum nempe immortalem esse, quod mentis sit particeps, mensque, simplex natura et individua, non morte dissolvi possit. Animos autem cum æthere commixtos, suî non conscios, vivere, mentisque expertes ex qua omnis constat immortalitas, minime intelligeret [2].

1. Fragm. ad Chrysip. 7. — 2. Est tamen locus (*Helen.* v. 1022), quo animam testatur Euripides, quanquam in æthera diffusam, tamen aliquam γνώμην servare :

> . . . . Ὁ νοῦς
> τῶν κατθανόντων ζῇ μὲν οὔ, γνώμην δ᾽ἔχει
> ἀθάνατον, εἰς ἀθάνατον αἰθέρ᾽ ἐμπεσών.

Subobscuriorem tamen hunc locum esse confitemur. Quomodo enim fieri potest ut, mente non jam vivente, perduret cogitatio? Unicus ceterum locus est, in quo Socratici aliquantulum deprehendi possit.

CAPUT VI

AN IN AFFICIENDO ANIMO INTER EURIPIDEAS TRAGŒDIAS ET SOCRATIS DIALECTICAM SIMILE ALIQUID DEPREHENDATUR?

Non satis habemus, rei confirmandæ causa, ex Euripidis tragœdiis quædam excerpsisse quæ cum Socratica disciplina congruere videntur ; nam quum inter philosophiam et poesim plurima intersint, tamen in eo utraque, si summum gradum attigerit, elaborat ut humanæ conditionis ambages aperiat, una quidem, adhibitis imaginibus, altera autem, re ipsa penitus perspecta et abstrusa quadam investigatione. In quolibet igitur poetico opere universum aliquid latet, unde moralem quemdam affectum animi percipiant. Quæ quum ita natura comparata sint, non alienum erit jam non particulatim quid de singulis rebus Euripides senserit dixeritve persequi, sed quo

modo demum universo ejus fabularum cursu exituque moveamur, disquirere.

Eo maxime ab Æschylo et Sophocle distat Euripides, quod apud eum neque ex diis justitiæ vindicibus neque etiam ex fato tragœdia, sed ex casu tota pendere videatur. Non id in animo ejus infixum est rebus humanis, quamvis turbulentis et inconstantibus, secretum quemdam ordinem præesse. Non deus advocatur nisi ut peragendæ sit fabulæ artifex, quo administro utatur poeta : revera fortuita quadam concursione omnia eveniunt, ita ut vel non cadere vel aliter cadere possint, nec sit quidquam quod in fortunæ volubilitate non versetur. Denique omnino nihil nisi incertissimum et temerarium admodum rebus humanis inesse credideris.

Nemini dubium esse potest quin Euripidem res minime fugiat. Nam ea est quam ipse clausulam non semel ad argumenti finem accommodat :

> Multæ sunt species rerum divinarum,
> Multaque præter spem perficiunt dii :
> Et exspectata non eveniunt,
> Non exspectatorum vero exitum invenit deus.
> Sic exiit hæc res [1].

Unum videlicet id docemur nempe Deum nobis illudere : nihil posse aut exspectari aut prævideri, spes denique hominum semper decipi et inanes evadere.

1. V. in *Med.*, *Hel.*, *Bacch.*, *Androm.* et *Alc.*

Cur is fuerit rerum cursus exitusque, quem poeta oculis spectantium subjecerit, cur non alius, non est deprehendere. Hanc ipsam viam, quam Deus, confitente Euripide, aperit, consciusne an inscius aperiat, incertum est.

Quid inde? sequitur ut spectantium animi, tanta rerum varietate circumacti, propter hominum infortunia, misericordia, ut ait Aristoteles, τραγικωτάτῃ permoveantur, iidem vero in dubitatione quadam et quasi sollicita fluctuatione versentur, quum omnia temere accidant, nec quidquam quo prius turbata componantur ex hac rerum implexa inordinataque vicissitudine exsistat.

Perspicuum est Euripidem, si illius tragœdias cum æqualium philosophia contuleris, jure non philosophum, sed sophistam scenicum appellari : nam quod Protagoras et Gorgias et ceteri in officinis suis juvenes docent, idem Euripidis tragœdiis impressum est quo animi velut imbuantur.

Quid igitur scenico illi sophistæ cum sapientissimo viro Atheniensi qui contra persuasissimum habet summam vim et certam rationem esse quæ rebus humanis præsit, cujus etiam vita, nunquam orationi dissentiens, tragico exitu concluditur, quo ad excelsius traducamur?

Si quis tamen attenderit quemadmodum explicentur Platonis dialogi, ii præsertim qui Socratici dicun-

tur, agnoscet eo præsertim Socratem delectari si animos quasi laqueis disputationis irretitos in ambages et ancipitem quamdam dubitationem adduxerit, neque ad id tantum valere captiosas ejus interrogationes, ut eos quibuscum colloquitur irrideat, sed etiam ut eorum animos excutiat, conturbet, suamque ex iis ignorantiæ confessionem eliciat. Ipsum inde juvat se conferre cum torpedine cujus vel minimo attactu sensus perstringantur et quasi obstupescant.

Ei concutiendorum animorum solertiæ libentissime Socrates in priore dialecticæ parte et quasi *motu* indulget, quum, priusquam novum aliquid instauret, vulgatissimam quamque opinionem labefactat, et sophistarum operam, non ipse sophista, exsequi videtur. Sed interdum, in ipsa etiam conclusione dialogorum, accidit ut quæstionem huc illuc jactaverit magis quam profligaverit, quasi eum argumenta colligere pigeat, et mentibus ænigmata quædam indaganda proponere malit quam dogmata infigere. Contentus denique videtur, si id effecerit ut audientes secum cogitent et vera ex se ipsis eruant.

Ne tamen incidat aliqua suspicio temeritatis, hactenus eundum arbitramur : nam primo Socrates intra se quædam seposita habet quibus dubitatio sensim removeatur et audientium animi plerumque ad certiorem statum tandem redeant. Deinde, etiamsi eos cunctabundos dimittit, eos semper bono animo esse

jubet, quum ipse μετὰ καλῆς ἐλπίδος, ἵλεώς τε καὶ εὐμενὴς esse soleat [1]. Euripides contra nihil habet unde ad spem sese erigant labantes animi et infracti, neque ipse τῆς καλῆς ἐλπίδος particeps fuisse videtur, qui στρυφνός dictus est et μισογέλως [2]. Quapropter longe abest Euripides ab illa animi Socratica tranquillitate et constantia. Si philosophum audimus, vita hominum quotidiana morum disciplina est et quasi palæstra virtutis. Si vero poetam, incerta quædam et cæca via, quam optabilius fuit non ingredi, et unde, si gravior fiat, licet morte voluntaria effugere. Sapientis est igitur ingloriam vitam degere cui non invideat fortuna. Imo qui continuis ærumnis sunt exerciti eo beatis viris præstant quod mala, quibuscum quasi societatem inierint, facile tolerant [3]. Quoniam vero nullus mortalium ea magica invenit carmina quibus animi ægritudo expelleretur, nulla est nisi dolendi voluptas quæ aliquam saltem habeat malorum levationem. Inde ex ejus carminibus nescio quid exsistit molle et luctuosum quo animi delectentur iidemque resolvantur, sed quod utique a Socratica constantia plurimum dissideat.

1. *De Rep.* l. I, VI. — 2. Aulu-Gell. *Noct. Att.* l. XV, c. XX. — 3. *Iph. in Taur.* v. 1121.

CAPUT VII

IISDEM PROPEMODUM CRIMINATIONIBUS SOCRATEM EURIPIDEMQUE APUD ARISTOPHANEM ESSE OBNOXIOS.

Jam plura diximus quam ut negari possit Euripidis tragœdias nonnihil vere Socraticum redolere. Nec tamen omnino omittendum censemus alterum quoddam argumenti genus, quod, licet extraneum, ad rem pertinere nobis videtur. Odium dico pæne capitale quod ille comicus poeta, omni rerum novitati inimicissimus, Aristophanes, in Socratem atque Euripidem exercuit. Crebrius quidem in Euripidem sæviit, cujus nomini fere in omni fabula turpitudinis aliquam notam inussit; revera autem, quamvis propemodum semel, Socratem non minus atrociter exagitavit, quem ut maximis sceleribus adstrictum, ita gravissimo supplicio dignum judicaverit. Quoniam vero ille a se Socrati illatas criminationes in *Nubibus,* Euripidi in *Ranis* contraxit, utramque fabulam componamus ut inde confirmetur, omissis criminibus quæ nunc ad philoso-

phum, nunc ad poetam proprie cadunt, eadem utrique ab Aristophane objici.

Quorsum enim imprimis *Nubes* pertinent ? Nonne, si rem attente perspicias, ut noverint Athenæ maxime corruptricem esse Socratis disciplinam, quippe quæ antiquitus traditam instituendæ adolescentiæ rationem, ex qua tot præclari viri effloruissent, sustulerit, ejusque suffecerit in locum novam quamdam et sophisticam instituendi viam et rationem, ex qua discerent juvenes jus ad se rapere, firmiora infirmis evertere, captiosa denique probabilitate ita judicum vel plebis animos irretire, ut pessimas causas vincerent. Quidquid de re cogitat Aristophanes ipse in medium profert, dum *Justum* inducit traditam ab antiquis disciplinam summis laudibus extollentem [1].

Quid vero in *Ranis?* Si summum opus modo delibes, longe alio comicum poetam spectavisse judicabis : nam in una fabula de philosophia, in altera de litteris agi videtur. Omissis tamen iis quæ singula apud Euripidem adeo festive notat Aristophanes, si rem penitus perspexeris, senties imprimis Euripidem in eo reprehendi quod ille in *Ranis* e scena, velut in *Nubibus* Socrates e sporta, non nisi prava perdocuerit [2]. Quid enim de tragœdiæ munere censet Aristophanes ? Æschylum ipsum docentem inducit præcipuum esse ut tragicus

1. *Nub.* v. 985 et sqq. ed. Didot. — 2. *Ranæ* v. 1030 et sqq.

poeta mortalibus prosit, Orpheumque et Musæum et Homerum imitetur, qui ad nobiles sensus æqualium animos erexerint, tradiderintve posteris morum egregia præcepta : inde quæcunque turpia sint ab oculis amovenda esse [1], nec quidquam nisi pulchrum esse proponendum; « nam uti puerulos a magistro doceri, ita a poeta adultos [2]. » Quid inde? idem, quod Socratem, peccavisse Euripidem, quippe qui corruptricem morum disciplinam in scenam intulerit, quæ animos præceptorum malorum veneno inficiat : discunt enim viri, si Aristophanem audis, egestatem pro maxima calamitate, divitias pro summa felicitate habere, et, Admeto auctore, morti viriliter oppetitæ vitam ignominiosam præferre [3]. Nihil nisi vident heroas perfidos, suæ utilitati inservientes, qui libidinum quibus indulgeant vim insuperabilem excusent. Ut Phidippides, Socratis domum egressus, novum usurpat genus argumenti quo jure parentibus vim inferat [4], ita Theramenes, Euripidis sectator, novit, si quid acciderit, mentiendo se *Ceo*, non *Chio* oriundum, de vadis emergere [5]. Nec mirum quod ut Socratem adit, si quis quod debet solvere negat, ita Euripidi latrones, fures et parricidæ, quæ turba maxima est in inferis, patrocinantur.

Socratem etiam Aristophanes reum impietatis exagitat : nam quum, ut verbis utar Platonis, « in Aris-

1. *Id.* v. 1053. — 2. *Id.* v. 1054 et 1055. — 3. *Thesmophor.* v. 194. — 4. *Nub.* v. 1379 et sqq. — 5 *Ran.* v. 970.

tophanis comœdia Socrates circumfertur affirmans se in aere ambulare et complures ejusmodi nugas [1], » non culpatur quod inter nubila evagando inania captet, sed quod rerum naturam pro dea habeat. Res minime obscura : nam Nubes pro deo Socrates veneratur [2]; nempe Jovem esse nullum, Nubes autem esse quæ aerio turbine concitatæ imbres demittant [3], quoniam Jupiter, inquiet Lucretius, pluviam in terras

. . . . . Nunquam jacit undique puro [4].

Nubes denique easdem quæ « sententias, et dicendi peritiam, et mentem suggerant, et præstigias, et loquacitatem, et fallaciam, et perceptionem [5]. » Denique Strepsiadi Socrates :

Ἄλλο τι δῆτ' οὖν νομιεῖς ἤδη θεὸν οὐδὲν πλὴν ἅπερ ἡμεῖς,
τὸ Χάος τουτὶ καὶ τὰς Νεφέλας καὶ τὴν γλῶτταν, τρία ταυτί [6] ;

Idem certe Euripidi Aristophanes objicit. Jam in *Thesmophoriazusis* mulierem quamdam induxerat sic poetam increpantem :

Νῦν δ' οὗτος ἐν ταῖσιν τραγῳδίαις ποιῶν
τοὺς ἄνδρας ἀναπέπεικεν οὐκ εἶναι θεούς [7].

Neque rem omittit in *Ranis*. Qua in fabula Aristophanes non modo Euripidem accusat quod deorum majestatem licentius cavillando elevaverit, sed etiam,

1. *Apol. Socr.* — 2. *Nub.* v. 365 et pass. — 3. *Id.* v. 369 et sqq. — 4. *De Nat. rer.* l. VI, v. 400. — 5. *Nub.* v. 316 et sqq. — 6. *Id.* v. 423 et 424. — 7. *Thesmoph.* v. 450 et 451.

si attendas, eos omnino esse negaverit : nam novus ille inferorum hospes, jussus quidem a Baccho thura focis imponere, priusquam cum Æschylo rem agat, « alios ait esse deos quibus supplicet, scilicet, æthera quo utatur pabulo [1]. »

Aliud est, quamvis minus forsan perspicuum, in quo aliquam etiam insectandi similitudinem deprehendere nobis videmur. Aperte quidem Aristophanes Socraticam dialecticam petit, dum Socratem « tenuissimarum nugarum sacerdotem [2], » dicit « de rebus subtilibus disputare gestire, et de fumo garrire, et sententiola sententiolam pungendo alteri orationi contradicere [3]. » Nonne propemodum idem objectat Euripidi qui non nisi argutias et cavillationes, et sententiolas, et verborum angulos et obliquitates, philosophicasque nænias subtiliter saccatas protulerit [4] ? Unus quidem metiri *quot pulex suos ipsius saltet pedes*[5], alter autem *versiculos ponderare* [6] docet.

Denique novissimum illud Aristophanes vitio dat Euripidi, eum scilicet res e medio arcessitas « quibus utimur et adsuevimus » in scenam deduxisse [7], ita ut tragœdiam a sublimi loco ad communis vitæ meram similitudinem depresserit. Ecquis non miretur in re ipsa Euripidem culpari qua proxime ad Socratem ac-

1. *Ran.* v. 801 et 802. — 2. *Nub.* v. 359. — 3. *Id.* v. 320 et 321. — 4. *Ran.* v. 956 et sqq. et pass. — 5. *Nub.* v. 145. — 6. *Ran.* v. 1381 et sqq. — 7. *Id.* v. 959 et sqq.

cedit? nam, ut ante diximus, Socrates philosophiam a naturæ contemplatione in terram et quasi hominum domicilia devocavit. Quamvis autem Aristophanes non idem expresse in Socratem retorserit, cui non apparet eam esse veram causam cur in illum sævierit? Quidem ideo præsertim succenset quod philosophum juvat in rebus versari quæ ad se non pertinent, quum inter sua nubila commorari debuerit. Nec vult quidquam aliud ex Socrate discere Strepsiades, nisi argumenta ratiunculis refellendo causam vincere et ære alieno exsolvi [1]. Omissis quibusdam ineptis de *rhythmo* vel *merula* disputatiunculis quæ tantum risus audientium captent, Socrates in *Nubibus*, dum agitat de justo injustoque, et ea ratione qua injustam litem obtineamus, revera in iisdem rebus versatur ad vitam communem pertinentibus, de quibus in alterutram partem personæ Euripidis disputare solent.

Inde fit ut eamdem in utrumque tulerit sententiam Aristophanes : nam Euripidem qui, mores civitatis vexando, pessimum civem egerit, capite damnat [2], et Socratem sophistasque cum novæ scientiæ instrumentis et suo φροντιστηρίῳ comburendos esse pronuntiat [3]. Quin etiam adeo facile ex altero in alterum Aristophanes transfert impetum, ut ipsius fabulæ quæ tota est in Euripide lacessendo clausula abrupte in So-

1. *Nub.* v. 239 et sqq. — 2. *Ran.* v. 951. — 3. *Nub.* v. 1485 et sqq.

cratem recidat. Nam chorus in *Ranarum* conclusione :

Χαρίεν οὖν μὴ Σωκράτει
παρακαθήμενον λαλεῖν,
ἀποβαλόντα μουσικὴν,
τά τε μέγιστα παραλιπόντα
τῆς τραγῳδικῆς τέχνης [1].

Non sane in animo habemus, recognita lite, de sententia Aristophanis sententiam ferre. Causam quidem Euripidis, quamvis ex aliqua parte ancipitem, jam plurimi tuendam suscepere. Quod vero ad Socratem, quis æquo animo ferat sanctissimum virum ad morum castitatem ab isto adeo impudenter lasciviente revocatum ? Hoc tamen unum jure colligendum : Euripidem Socratemque in eamdem Aristophanis invidiam et eadem fere crimina incurrisse, propterea quod inter utrumque certa esset quædam ingenii cognatio quæ ut ceteros ita Aristophanem minime fefellerit.

1. *Ran.* v. 1491-1496.

CONCLUSIO

Quum ad nostræ disquisitionis exitum pervecti simus, eam paucis contrahere et quid inde colligi possit breviter expedire debemus.

I. Nobis erat propositum quærere an aliquid inter Euripidis tragœdias et Socraticam disciplinam consentaneum sit. Nullam sane fidem commentitiæ illi historiunculæ, qua comici poetæ Euripidem a Socrate in componendis fabulis adjutum esse finxerunt, adhibuimus. Attamen, si rem ipsam quæ verbis subjecta latet indagare novimus, non possumus non fateri populum illum Atheniensem sagacissime odoratum fuisse non manum quidem, sed mentem Socraticam ubique impressam esse in Euripideis fabulis, ita ut inscius Socrates inscio Euripidi certo adfuerit.

Nam, si per singula decurras, nonne constat novam philosophandi rationem, imprimis a Socrate profectam, quæ, primum totum hominem complexa, ejus notitias, sensus et cupiditates subtiliter descripsit, eam esse quam primum in scenam Euripides induxit? Eum-

dem etiam probavimus ut sophistis affinem, imo cognatum, ita eorum acerrimum insectatorem sæpe exstitisse. Deinde, ex silva sententiarum quas poeta, nullo adhibito modo, in fabulis congerit, nonnullæ videlicet, sive de morum disciplina, sive de civili prudentia, sive de religione, excerpi possunt quæ, omnino a ceteris philosophis aut communi sensu abhorrentes, ex fonte Socratico ad Euripidem manaverunt. Diximus quoque in afficiendis animis aliquem esse Euripideæ tragœdiæ cum Socratica dialectica congruentiam. Denique ab Aristophane utrumque iisdem prope criminibus petitum esse plane perspeximus, propterea quod comicus ille poeta, quum sibi præcipuum munus suscepisset ut antiquitatem defenderet, Socratem et Euripidem nova prorsus tum in philosophiam tum in scenam inferre rectissime sensisset.

II. Quid inde sequitur? Iterum id confirmari censemus quod inter plerosque hodie convenit, philosophiam scilicet et poesim arctissime conjungi, neque unam novum iter ingredi posse quin secum alteram rapiat. Quod vero ad litteras imprimis spectat, jam possumus notissimam de Euripide Aristotelis sententiam latius, ideoque, ut videtur, rectius interpretari : nam quum ille Euripidem « homines quales sint revera effinxisse » pronuntiat, inde intelligi nolumus eum inter poetas annumerandum qui, dum nihil nisi

exactissimam rerum imaginem imitari nituntur, a vero artis fine deerrant. Significare debuit Aristoteles tragœdiam, quam Æschylus in cœlo prope collocaverat, quæ apud Sophoclem, quanquam jam homini propiorem, aliquid nihilominus valde religiosum retinuerat, totam tandem ab Euripide humanam factam esse : illud quidem heroïcum, quo ea audientium animos antea inflammaverat, deferbuisse; mollius aliquid quam fortius spirare; lacrymas effusius profundi quæ animorum infirmitatem testentur; sed, Euripide duce, hominem ipsum in scenam prodire, hominem, inquam, totum, non Græcum modo et heroicæ ætatis, qualem Æschylus aut etiam Sophocles finxerint. Unde etiam perspicere possumus quæ causa sit cur recentiores poetæ, quoniam *humanum* præcipue exprimere student, Æschylum et Sophoclem e longinquo venerati, unum maxime Euripidem imitando fuerint prosecuti : nam ut in philosophia Socrates, ita in tragœdia Euripides hominem hominis in conspectu collocavit, potiusve, Euripides Socratis τὸ γνῶθι σεαυτόν in scenam traduxit.

Typis mandetur :
Parisiensis academiæ rector,
A. Mourier.

Vidi ac perlegi :
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, a. d. VII. id. Jul. ann. M DCCC LXXIII.
Facultatis litterarum in academia Parisiensi decanus,
Patin.

INDEX CAPITUM

Sceaux. — Ex typis M. et P. E. Charaire.